

Sancta Birgitta

Reuelacionum liber octauus

Epistola solitarii ad reges

Reprehenduntur hic illi qui ex arrupto et improuise nullo examine precedente approbant aut reprobant

personas se asserentes habere visiones et reuelaciones diuinas. Capitulum I.

1 O serenissimi reges et utinam veri reges in Christo, domini mei precarissimi, supplici et humilima recommendacione premissa ante pedes vestre maiestatis regalis!

2 Quoniam moris regum existit velle curiose discutere et discuciendo cognoscere qualitates personarum eis scribencium aliqua insolita secreta voluntatis diuine **3** et quia in istis modernis temporibus densa caligine tenebrosis surrexit quedam illustris generis et spiritus domina, domina Brigida de regno Suecie, decus omnium feminarum, **4** que velut stella clarissima sanctitatis radios fulgentes diffudit per diuersa climata vasti orbis, que nunc vobis scribit precepto celestis imperatoris altissimi presentem librum infrascriptum, ei diuinitus reuelatum, quasi quoddam preclarum speculum ad ornamentum regale et correpcionem morum vestrorum ac subditorum regni sanctum regimen exercendum, **5** propterea, mei domini metuendi, ne subitum et improuisum aliquorum indiscretorum indiscretum iudicium, inducendo vos ad incredulitatem et duriciam Pharaonis, velut ventus turbinis euellat a cordibus vestris semen credulitatis et fidei accipiendi humiliter et credendi istum librum gloriosum, scriptum in corde predictae domine digito Dei viui, **6** idcirco decreui, ne tali modo illudamini, breuiter et plenarie vobis ostendere condiciones et qualitatem anime prefate beatissime domine et modum, quo ipsa habebat visiones a Deo. **7** Intendo eciam vos et alios incautando scribere et scribendo docere modum breuem discernendi visiones diuinas ab illusionibus pessimis Sathane.

8 Dico igitur, domini mei, breuiter, quod visionum genera multa et diuersa sunt. Et quia materia ista peregrina et quasi incognita est apud homines propter ignoranciam et impericiam sciencie Sacre Scripture et inexperienciam sentimentorum mentalis oracionis et contemplacionis et vite spiritualis, **9** ideo ego sepe desideravi epilogare unum breuem tractatum, qui esset quasi quoddam ventilabrum ad discernendum visiones propter magna pericula, que multis personis meo tempore, proch dolor, euenerunt ex impericia istius tam secrete et tam inusitate materie. **10** Et quia ista beata domina, cui presens liber diuinitus reuelatus fuit in visione, dicit in principio eius, quod vidit in visione *palacium grande, incomprehensibile magnitudine, simile celo sereno*, etc., **11** idcirco ego nunc decreui predictum tractatum seu ventilabrum hic per modum epistole compilare, quo visiones bone et diuine a dyabolicis et malignis, velut granum a palea, excuciantur et subtiliter separentur, **12** ut sic granum purum et mundum in orreo spiritualium et catholicorum hominum recondatur et veneretur, palea vero dyabolica illusionum a vento flante Diuine Scripture longius in sterquilinum proiciatur et pedibus conculcetur.

13 Incipiens igitur in Christi nomine, semper subiciens omnia, que dixerō, correccioni sancte matris Ecclesie et consilio saniori, **14** dico quod, qui species visionum seu reuelacionum iuste et discrete examinare et discutere ac discernere et iuste iudicare vult, **15** oportet quod habeat duo supradicta, scilicet theoreticam sciencie Sacre Scripture in materia visionum, quam sancti patres et doctores subtiliter et lucide descripserunt, et practicam experientie vite spiritualis et sentimentorum consolacionum et visionum mentalium, spiritualiter aut intellectualiter sibi diuinitus infusorum.

16 Et quia communiter hodie in paucis personis ista theoretica et practica supradicta discernendi et iuste iudicandi visiones et spiritus, pro dolor, inueniuntur, **17** ideo multi velut ceci oberrantes per inuia in ista materia potius ex arrupto ad condemnandum simplices et sanctas personas Deo coniunctas conuertuntur quam ad perfecte discernendum et iuste approbandum aut reprobandum ea, que potius approbanda vel reprobanda forent, **18** nichil racionabile in suis improvidis iudiciis et subitaneis dictis seu potius detraccionibus allegantes, nisi quod angelus Sathane sepe sub angeli lucis specie se transformat, **19** et proferunt in medium exempla aliquarum personarum spiritualium, que preteritis temporibus in suis visionibus a dyabolo deluse fuerunt, **20** immemores tamen illorum, qui per diuinas visiones et infusiones a Deo illuminati fuerunt et per illas ecclesiam Dei et alios illustrauerunt et direxerunt, **21** condemnantes precipue simplices personas spirituales ydiotas et sexum femineum quasi ignarum et leuis capacitatis et reputacionis et ideo indignum ad visiones diuinas seu propheticas capescendas, **22** non attendentes, quod Deus omnipotens tam in Veteri quam in Nouo Testamento ad ostendendum omnipotenciam suam sepe infirma mundi elegit sibi tam in femineo sexu quam in masculis, ut confundat sapientes. **23** Nonne de pastore fecit prophetam et iuuenes ydiotas repleuit spiritu prophecie? Et nonne non doctores sed piscatores et rudes homines elegit in apostolos, qui spiritu sancto repleti sunt? **24** Numquid non eciam Maria, soror Aaron, Iudith et Hester spiritu prophecie dotate fuerunt? Numquid non per Oldan mulierem prophetissam rex Iosias in agendis directus est? **25** Nonne recordaris, quod Delbora prophetissa rexit populum Israel, Anna quoque, mater Samuelis, Agar et uxor Manue, mater Sampson et alie femine in Veteri Testamento prophecie spiritum habuerunt? **26** In Nouo eciam Testamento Anna, Fanuel filia, prophetauit, Elizabeth Zacharie, beata Lucia virgo, ut habetur in libris suis, Sibilla Tyburtina, Sibilla Erictea et multe alie, de quibus in libris Sacre Scripture et sanctorum copiam magnam inuenies.

27 Et idcirco, quia periculosum est ex improviso condemnare vel approbare spirituales visiones et personas asserentes se visiones diuinas habere, **28** antequam subtiliter examinetur de qualitate ipsarum personarum et eciam de modo videndi et de qualitate materie visionum et perspicaciter exproberentur ista omnia per Diuinam Scripturam et per scripta sanctorum doctorum, utrum ab illusionem vel an a spiritu veritatis infuse siue ministrare sint – **29** quia videmus, quod Pharaon non credidit Moysi, qui homo simplex erat et Deum viderat, et ideo eius visioni et dictis, vel potius Dei, non credens in duricia incredulitatis pertinaciter perstitit, propter quod in Mari Rubro cum populo Egypti miserabiliter precipitauit, **30** et multos alios eciam vidi temporibus meis, qui tales spirituales personas simplices et ydiotas et visiones earum spirituales vanas et quasi confictas aut fantasticas reputantes inobedientes Deo effecti sunt, **31** propter quod super se et subditos suos sentencias Dei crudelissimas, sibi per illas personas et earum visiones ante prenucciatas, miserabiliter experti sunt (**32** exemplum vide in destructione regni Cypri, quia non credidit princeps visionibus beate Brigide, cui presens liber extitit reuelatus, ut habetur in ultimo Libro Celesti, XIX capitulo; **33** alios eciam vidi et audiui, qui credebant illusionibus et ex hoc periculose corruerunt, **34** exemplum huius vide in VI Libro Celesti, LXVIII capitulo et in libro Collacionum Patrum Iohannis Cassiani, collacione II, capitulo "Et ut hanc eandem" cum multis similibus) – **35** ideo consulcius est visiones et personas tales cum magna maturitate discutere et eas tunc bene et cum deliberacione et maturitate discussas et discrete iudicatas aut approbare aut eciam reprobare. **36** Ait enim apostolus:

Probate spiritus, utrum a Deo sint. Et si tunc in examine inuentum est, quod a Deo sint, debemus humiliter illas credere et eis totaliter obedire. **37** Si vero a dyabolo sint, ut illusiones pessimas illas debemus despiciere et eis nullatenus fidem dare.

Ponitur hic in theorica modus examinis faciendi de qualitate persone videntis visiones et de modo habendi eas ac de qualitate materie visionum et reuelacionum. Capitulum II.

1 Dicunt sancti patres et doctores Ecclesie, quod persona visiones videns debet tali modo examinari,

2 an scilicet sit persona spiritualis vel an sit mundana et secularis,

3 an eciam viuit sub disciplina et obediencia speciali, continua, spirituali alicuius senioris, discreti, virtuosus et maturi, catholici et experti patris spiritualis vel an in proprio arbitrio et voluntate,

4 item utrum temptationes suas et illas tales visiones, quas habet, statim supposuerit examini et iudicio sui patris spiritualis vel aliorum, discretorum, seniorum patrum spiritualium, cum humilitate timens illudi vel an eas occultauerit nulliusque examini et iudicio eas supposuerit, **5** aut ex illis de se presumpserit et se iactauerit vel se reputando alios despexerit.

6 Item examinari debet, utrum ab ista persona vidente visiones resultent veri actus et virtutes obediencie, humilitatis et caritatis et intente oracionis, **7** vel an procedant ab ea actus reputacionis et iactancie aut superbie seu ostentacionis et elacionis vel appetitus laudis humane aut negligencia oracionis siue ambicio honoris vel dignitatis,

8 item utrum ista persona apud viros spirituales reputetur vere catholica et fidelis et obediens prelati et rectoribus Ecclesie, vel an sit suspecta de fide vel de obediencia prelatorum et rectorum Ecclesie,

9 item utrum in vita spirituali virtuose et in penitencia et in habendo frequentes visiones humiliter et diu perseuerauerit, vel an in hoc sit recens et nouicia,

10 item an ista persona visiones videns habeat bonum intellectum naturalem et spiritualem et verum et discretum iudicium rationis et spiritus, vel an sit leuis intellectus vel subita aut fantastica – **11** dicit enim Gregorius in Dyalogo, quod *sancti viri inter illusiones atque reuelaciones ipsas visionum voces aut ymagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant vel quid a bono spiritu percipiant vel quid ab illusore paciantur* –

12 et utrum ista persona fuerit alias examinata de materia et modo visionum per viros litteratos et spirituales et approbata vel an non.

13 Et hec sufficere videntur quantum ad examinationem persone.

Quantum vero ad modum videndi et audiendi spiritualiter et recipiendi reuelaciones seu visiones dicunt sancti patres et Ecclesie sancti doctores, quod debet examinari subtiliter, **14** utrum ista persona videns visiones et audiens locuciones earum videt eas vigilando vel an dormiendo et sompniando

15 et utrum in visione corporali vel an in visione ymaginaria et spirituali vel utrum forte in visione intellectuali, supernaturali

16 et utrum in illo raptu mentali, qui extasis vocatur, scilicet quando talia videt, senserit aliquam mentalem, supernaturalem dulcedinem amoris diuini vel an non,

17 et utrum tunc videt et audit aliquem sibi aliqua misteria loquentem aut diuinas doctrinas et spirituales demonstrantem vel an non, et in qua specie tales personas videt,

18 et utrum tunc sentit illuminationem seu quandam illustrationem supernaturalis luminis intelligencie manifestacionis veritatis diuine illius materie illorum visorum vel an non.

19 De qualitate eciam et materia ipsarum visionum debet examinari, utrum visiones ille concordant cum Diuina Scriptura vel an discrepant ab ea,

20 et utrum visio illa sit ad humanorum actuum virtuosam direccionem et salutem animarum vel an inducat in errorem catholice fidei vel an inducat aliquid monstrum et nouum vel aliquid, quod a ratione discordet, aut a bonis, virtuosis et humilibus moribus nos auertat,

21 et an iste visiones semper vere sint an aliquando mendaces et false, scilicet quod illa, que predicunt, aliquando sint vera et aliquando non,

22 et an predicunt nobis futuros honores aut diuicias aut laudes humanas an humilitatem in omnibus, an eciam inducunt nos, quod extollamur aut quod presumamus et confidamus de aliquibus virtutibus nostris, an quod humiliemur,

23 item utrum nos monent ad obediendum eciam puris et simplicibus, virtuosis personis spiritualibus et prepositis nostris an ad contrarium.

24 Et causa breuitatis finaliter dico, quod ad perfectam examinacionem faciendam in ista materia tam de qualitate persone videntis visiones quam de qualitate et modo videndi, quam eciam de qualitate materie visionum et de modo discernendi spiritus, qui illas ostendunt, infundunt seu ministrant, utrum boni spiritus an mali sint, **25** vide plenissime in Libro Celesti Reuelacionum Dei ad istam beatam Brigidam de Suecia, de qua hic agitur, in libro I, IIII capitulo et eodem libro, LIIII capitulo et in III libro, X capitulo et in IIII libro, XXIII capitulo et CX capitulo et in VI libro, LII capitulo et LXVIII capitulo cum multis similibus, **26** ubi predicta domina a Christo et virgine Maria plene instruebatur de ista materia discernendi spiritus et visiones et mentalia sentimenta. **27** Nam si talis subtilis examinacio non precesserit, error periculosus poterit euenire in approbante vel reprobante indiscusse et ex arrupto talia videntem et eius visiones et reuelaciones, **28** quia forte iste subitus et indiscretus ex arrupto approbans talem videntem et eius visiones recipiet falsa pro veris et vera ut falsa periculosissime reputabit, **29** et sic bone et vere visiones seu locuciones diuine respuentur et non credentur nec eis obediatur, eciam si veraciter a voluntate Dei processerunt, **30** falsis vero illusionibus fides prestabitur et obediatur in dampnum videntis et subito approbantis aut reprobantis indiscusse et ex improuiso, quod sepe contigit tam in Veteri Testamento quam in Nouo, et adhuc hodie talis error sepe contingit propter defectum discreti et maturi examinis.

Continetur hic qualitas persone et virtutum beate Brigide, cui infrascriptus liber extitit reuelatus.

Capitulum III.

1 Hiis igitur in theorica visis nunc iam practicando ad materiam qualitatis persone, cui reuelatus fuit presens liber, veniamus. **2** Sciendum ergo est, quod illustris domina sancte memorie beata Brigida, que visiones presentis libri et eciam illius magni Libri Celestis et alia multa in spiritu vidit et audiuit et ex precepto Dei illas conscripsit, **3** ut habetur in VI Libro Celesti, CI capitulo, de genere regum Gothorum exorta et in regno Suecie, quod est ad aquilonem, nata fuit. Cuius parentes nobiliter et virtuose vixerunt. **4** Que adhuc in coniugio viuens maritum suum ad continencie perfeccionem adduxit, ut multis annis sine carnis copula viuerent, **5** et sic ambo ad Sanctum Iacobum de Galicia peregre profecti sunt in magnis laboribus et expensis et cum deuocione maxima, **6** et postea ad patriam suam regni Suecie redierunt, ubi tunc predictus maritus migravit ad Dominum.

7 Ipsa vero tunc accensa perfecto castitatis amore totam Christo se totaliter tradidit, qui eam illico in sponsam suam benigne suis verbis amplectendo suscepit, ut habetur in primo Libro Celesti, II capitulo. **8** Et tunc ipsa incepit habere clarius visiones diuinas, quas statim supposuit humiliter examini cuiusdam sui patris spiritualis, sancti viri, qui erat magister in theologia, scilicet magistri Mathie de Suecia, canonici Lincopensis ecclesie, qui glosauit totam Bibliam, ut habetur in VI Libro Celesti, LXXXIX capitulo, **9** et exposuit eciam domina istas visiones suas humiliter examini et iudicio aliorum prelatorum et religiosorum spiritualium virorum, ut habetur in IIII Libro Celesti, LXXVIII capitulo et expressius in prologo Regule Saluatoris ei diuinitus reuelate. **10** Postquam vero predicti viri, periti in sciencia et spirituales in vita, visiones et infusiones et reuelaciones predicte domine reuelatas approbauerunt et sentenciauierunt eas procedere a Spiritu Sancto Veritatis et non ab illusore spiritu falsitatis, **11** tunc ipsa, desiderans Christum pauperem pauper sequi et eius quodammodo vestigia imitari, de omnibus bonis suis nichil sibi nisi simplicissimum victum et vestitum humilem reseruauit. **12** Et sic, ceteris aliis suis bonis distributis inter filios suos et Christi pauperes habundanter et a mundi retinaculis se expediens, ex precepto Christi egressa est exemplo Abrahe de terra sua et de cognacione sua, ut patet in legenda vite eius, **13** et sic ad Romam peregrinando deuenit ad standum ibi in vita penitencie et ad visitandum humiliter limina apostolorum et reliquias aliorum sanctorum, donec Christus ei aliud precepit, **14** habens semper secum alios duos seniores, antiquos et maturos, virtuosos ac virgines et expertos patres spirituales, qui usque ad mortem eam secuti sunt. **15** Congruum enim erat, quod ille castissimus sponsus, qui suam matrem virginem discipulo virgini commendauit, quod suam nouam sponsam eciam regendam virginibus et virtuosis patribus commendaret.

16 Quorum unus monachus et prior cisterciensis religiosissimus erat, virgo carne et satis sciencia litteratus. **17** Et quia ipsa domina reuelaciones scribebat, ut prefertur, ex precepto Christi in lingua sua Gothica, ideo ex eodem precepto Christi iste prior translatauit de illa lingua sua materna in Latinum omnes libros, et istum presentem, eidem domine diuinitus reuelatos. **18** De quo quidem religioso mencio fit in prologo Libri Celestis in fine.

19 Alter vero pater spiritualis istius domine erat quidam presbiter de Suecia, virgo eciam venerabilis et sanctissime vite, qui totam domum predicte domine regebat et eam cum filia sua gramaticam et cantum ex precepto Christi docuit et in viam virtutum paternalibus correccionibus virtuose corrigendo direxit.

20 Quibus patribus ipsa in tota vita sua in omnibus virtutibus ita humiliter obediuit, sicut verus monachus humilis obedire solet prelato suo, propter quod ipsa in tantam humilitatem et obedienciam et perfectam

mortificacionem sue proprie voluntatis deuenit, **21** quod, quando ibat per indulgencias et sanctuaria, sociata semper cum predicto presbitero, suo patre spirituali, non audebat eleuare aspectum oculorum suorum de terra, nisi prius requisisset et obtinisset ad hoc specialem licenciam eiusdem sui patris spiritualis. **22** Omni eciam die ipsa confitebatur bis et ter, et omni die dominica ipsa et predicta veneranda filia sua, que secum laudabiliter vixit et usque ad mortem in penitencia et castissima viduitate honestissime perseuerauit, corpus Christi cum maxima deuocione et humilitate sumebant, **23** semper viuentes in magnis secretis penitenciis corporalibus, quas non oculis hominum ad vanam gloriam sed soli Deo humiliter offerebant in simplicitate cordis et puritate spiritus sub predictorum duorum patrum spiritualium humili subieccione et continua obediencia spirituali. **24** Quibus patribus visiones, quas ipsa beata Brigida habebat, statim detegebat et omnia humiliter subiciebat eorum iudicio et discrecioni.

25 Et non solum ipsa erat humilis exterius apud homines, sed eciam intrinsecus apud Deum tam indignam et peccatricem se reputabat, quod in oracione sepe loquendo Christo, quasi de eo stupendo mirabatur et quodammodo eum redarguebat, **26** quia eam tam indignam ad videndum visiones diuinas et audiendum et scribendum sanctissima verba eius ipse sibi eam elegerat, ut clare videre poteris in secundo Libro Celesti, capitulo XV et in VI libro, capitulo LII in principio et § "Tunc ego" et in II libro, capitulo XVIII cum multis similibus.

27 Qualem autem pacienciam et equanimitatem habebat prefata domina, non ego respondere volo, sed potius respondeat tibi de hoc illa gloriosa virgo, Sancta Agnes, que de hoc testimonium perhibet in quarto Libro Celesti, CXXIII capitulo, quod incipit: **28** *Agnes loquitur ad sponsam dicens: "Veni filia, et impone tibi coronam factam ex septem lapidibus preciosis."* Et de hoc vide lacius in legenda vite eiusdem domine, beate Brigide. **29** Qualem eciam ardorem caritatis habuit ad Christum et eius matrem virginem, vide in quarto Libro Celesti, LXIII capitulo et in VI libro, LII capitulo et in ultimo libro, capitulo I et capitulo XIII in fine cum multis similibus.

30 Proximos eciam ita materna compassione diligebat, quod pro multis in specie et pro omnibus eciam in genere ad Christum orando infinitas preces et lacrimas frequenter deuotissime effundebat, ut patet in libro III, XXIII capitulo et in multis aliis capitulis Libri Celestis. **31** Ymmo quodam tempore cum rex Suecie grauare vellet subditos suos in toto regno magnis exactionibus, ut solueret quandam pecunie quantitatem, in qua tenebatur creditoribus, **32** tunc beata Brigida dixit regi: *Domine, noli hoc facere, sed recipe duos filios meos et pone eos obsides, donec soluere poteris, et non offendas Deum et subditos tuos*, ut hoc clarius habetur in legenda vite eius.

33 Omnibus autem aliis virtutibus predicta domina in tantum adornata et repleta erat, quod Christus eam in sponsam miro modo recepit et ipsam mirandis consolacionibus et diuinis graciis frequentissime visitauit dicens ei: **34** *Ego elegi te michi in sponsam, ut ostendam tibi secreta mea, quia michi sic placet.* **35** Et post paululum subiunxit dicens: *Propterea assumo te michi in sponsam et in meam propriam delectacionem, qualem decet Deum habere cum anima casta*, ut patet hoc in primo Libro Celesti, capitulo II cum multis similibus, que inuenies in libris eidem domine diuinitus reuelatis.

36 De quibus quidem diuinis graciis ipsa numquam superbiebat, ymmo cotidie humiliando se me teste cum lacrimis et magis debtricem Deo se reputando grauius iudicium de hoc sibi superesse timebat. **37** Latere quidem ipsa et thesaurum istum diuinarum reuelacionum abscondere ob humilitatis custodiam maluisset, sed Christus eam imperio verborum suorum pluries astrinxit ad scribendum et loquendum verba sua diuina intrepide summis pontificibus, imperatori, regibus et principibus ac aliis gentibus, **38** ut ex istis diuinis

verbis, scilicet Libri Celestis et presentis libri, homines peccatores ad Deum se conuerterent, boni autem et iusti in melius proficerent, **39** ut patet hoc clare in ultimo Libro Celesti, capitulo XXVII et in VI libro, capitulo CI cum multis similibus et in isto presenti Libro Celestis Imperatoris ad Reges in pluribus capitulis.

40 Quis enim talem vitam existimet ludibriis patere demonum Christumque tante impietatis arguere audebit, ut non tueretur in se sperantem et non se sed ipsum ex dileccionis eius plenitudine glorificantem?

41 Vel numquid bonus sponsus castam coniugem et fidelem exponit adultero illudendam?

Hic ostenditur qualibus modis beata Brigida habebat visiones et reuelaciones. Capitulum IIII.

1 Preterea, quia iam dixi supra et patefeci nescientibus aliqua de qualitate persone et virtutibus beate Brigide, nunc autem, quia multi mirantur et dubitant de ista gracia videndi et audiendi visiones spirituales prefate beate domine data, **2** et certificari desiderantes de modo, quo ipsa talia videbat et audiebat, sepe requisierunt me, quod ego eis hoc seriose dicerem et de pura veritate eos clare certificarem et cuius infusione spiritus omnia ista reuelata existant, **3** ideo ego ad honorem Dei et virginis et predictae beatissime domine ac etiam ad remouendum dubium de cordibus predictorum dubitancium ostendam eis primo, qualiter et quibus modis ipsa visiones et reuelaciones videbat et audiebat, **4** et postea per ventilabrum diuine scripture probabo, quod a spiritu sancto hec et non a spiritu illusionis certissime procedebant.

5 Ad primum igitur dico, quod ipsi possunt de modo, quo ipsa visiones videbat, certificari non solum per mea sed etiam per verba ipsiusmet beate Brigide, que in pluribus capitulis librorum hec ipsa humiliter, satis clare notificat et praesertim in IIII Libro Celesti, LXXVII capitulo et in libro VI, LII capitulo, ubi cum Christo loquitur ipsa in hec verba: **6** *O carissime Deus et omnium dilectissime, mirabile omnibus audientibus est illud, quod tu mecum fecisti. Nam quando placet tibi, tunc sopis corpus meum, non tamen sopore corporali, sed quadam quiete spirituali. Animam autem meam tunc quasi a sompno excitas ad videndum et audiendum atque sencindum spiritualiter.* **7** *O domine Deus, o quam dulcia sunt oris tui verba. Videtur vere michi, quociens verba spiritus tui audio, quod anima mea illa in se degluciat cum quodam sentimento ineffabilis dulcedinis sicut suauissimum cibum, qui cadere videtur in cor corporis mei cum magno gaudio et ineffabili consolacione.* **8** *Mirabile tamen hoc esse videtur, quod dum verba tua audio, tunc utrumque efficior, scilicet saciata et famelica, propter hoc autem saciata, quia tunc nichil aliud michi libet nisi illa, propter hoc vero famelica, quia semper augetur appetitus meus ad illa, etc.* **9** Et de hoc in prologo et etiam in fine Regule Saluatoris eidem domine diuinitus reuelate cum aliis similibus.

10 Ego etiam Deo teste pluries vidi predictam dominam aliquando sedendo, aliquando prostratam stare in oracione totam absortam et quasi exanimem, alienatam a sensibus corporis, raptam in extasi spiritus, nichil videntem nec audientem de hiis, que agebantur in loco illo, ubi ipsa corporaliter erat. **11** Que quando reuertebatur ad se, narrabat michi indigno ad talia et prefatis duobus confessoribus suis visiones, quas tunc habuerat, et secreta magna et archana Dei. **12** Habetur etiam eius modus videndi visiones satis clare in quadam visione et reuelacione secreta per ipsam dominam transmissa domino pape Gregorio XI, ubi narratur, qualiter ipsa existente in oracione vigilando rapta fuit in spiritu. **13** Et tunc omnes eius corporis vires quasi deficere videbantur, sed cor ipsius inflammabatur et exultabat caritatis ardore, eiusque anima consolabatur, et quodam diuino robore confortabatur spiritus eius, ac etiam tota ipsius consciencia et intelligencia replebatur intellectu spirituali, ut ibi continetur.

14 Aliquando quoque ipsa sensibiliter sentiebat cum ineffabili exultatione spiritus quendam sensibilem corporalem motum mirabilem in corde suo, quasi si ibi esset infans viuus se reuoluens, qui motus ab extra videbatur. **15** Et de hoc dubitans ipsa, an esset illusio dyabolica, ostendit suis patribus spiritualibus. Qui videntes et tangentes illud in stuporem admirationis redacti sunt. **16** Hoc tamen dubium declarauerunt ei Christus et virgo Maria satis pulchre dicentes quod ille motus cordis non erat illusio sed diuina gracia et operatio spiritus sancti, ut habetur in II libro, XVIII capitulo et in VI libro, LXXXVIII capitulo.

17 Item scias, quod aliquando ipsa domina Brigida orans vigilando in excessu mentis videbat in spiritu aliquas species seu formas, **18** nec tunc declarabantur ei, quid significarent illa visa, sed remanebat dubia et incerta de significacionibus illarum visionum, **19** ut habetur in IIII Libro Celesti, II capitulo cum multis similibus et infra in isto presenti Libro Celestis Imperatoris ad Reges, XXXIII capitulo. **20** Que visiones aliquando postea declarabantur ei a Christo processu temporis, ut habetur in dicto capitulo XXXI istius libri et in ultimo capitulo libri IIII. **21** Et aliquando nichil umquam declarabatur ei de significacionibus illarum visionum, sed semper remanebat de illis incerta, ut habetur in aliquibus capitulis Libri Celestis. **22** Aliquando vero in spiritu videbat vigilans visiones in specie aliqua, et quasi semper statim in eadem hora declarabantur ei visiones ille a Christo loquente vel a sua matre virgine vel ab angelo vel ab aliquo sancto, **23** et manifestabantur ei tunc diuinitus in intelligencia sua significaciones illorum visorum, **24** ut habetur in IIII libro, VII capitulo et in VI libro, XXXV capitulo et LII capitulo et in isto libro presenti infrascripto, XLVIII capitulo cum multis similibus, que in Libro Celesti et in isto inuenies.

25 Sed poteris querere, quomodo potest esse, quod ista beata domina in oracione vigilante, poterat videre, sicut sepe videbat, rapta in spiritu, Christum et eius matrem virginem et angelos et sanctos, **26** qui semper immutabiliter et essentialiter stant in celo et in eodem instanti videre animas cruciari ac eas et eciam demones loquentes in purgatorio et in inferno et eciam personas adhuc viuentes in hoc mundo – **27** et omnes istos videbat ordinate in eodem instanti ad inuicem et simul loquentes – et utrum quando hec videbat dicta domina, anima eius erat in corpore vel an extra corpus. **28** Ad quam questionem non ego, sed illa, speculum omnis sapiencie et sciencie, regina celi, Maria tibi respondet valde pulchre in VI libro, LII capitulo in fine cum similibus, **29** ubi determinatur, quod hoc fiebat mira eleuacione et illustracione mentis et intelligencie eiusdem beate Brigide ad magnam utilitatem totius corporis Ecclesie cooperacione et ministerio Spiritus Sancti. **30** Aliquando quippe visa in extasi aliqua specie Christi vel sanctorum infundebantur in momento intellectui eiusdem beate domine aliqua magnalia, scilicet soluciones questionum, reuelaciones misteriorum et direcciones actuum virtuosorum et regula sancte vite per quendam influxum supernaturalis luminis diuini. **31** Et tali modo habuit quasi in momento totum Librum Questionum, qui est quintus liber in numero inter libros celestis voluminis, et Regulam eciam Saluatoris religionis monialium ei reuelatam, ut ibi habetur in fine regule, XXIX capitulo. **32** Aliquando eciam angelum corporeis oculis ipsa videbat, qui ex Dei precepto ei sermonem pulcherrimum satis prolixum paulatim et seriose dictabat, et ipso dictante in eodem instanti ipsa scribebat, **33** et sic fuit scriptus per interualla temporum ille excellentissimus Sermo Angelicus de excellencia Marie virginis, qui diuiditur per lecciones, que debent per ebdomadam nocturnatim legi a monialibus in matutinis in dicta religione monialium Regule Saluatoris.

34 Aliquociens quoque vidit predicta beata domina non solum in spiritu, ymmo eciam suis beatis oculis corporalibus dominum Iesum Christum et matrem eius virginem et presertim in fine vite sue, ut infra patebit. Quod tunc ipsa testabatur filie sue et suis patribus spiritualibus.

35 Pro maiori tamen parte ipsa neminem videns audiebat vocem Filii Dei vel virginis matris vel alicuius angeli vel sancti loquentis sibi verba mirabilia ad utilitatem proximorum, direccionem morum, conuersionem gencium et reuelacionem misteriorum, ut patet in omnibus supradictis libris, ubi maior pars capitulorum incipit: **36** "Filius loquitur" vel "Mater loquitur ad sponsam", etc. Et aliquando tali modo predicebantur ei multa futura et prophetica de futuris et alia non prophetica per verba obscura, quorum significata ipsa nesciebat, an intelligerentur textualiter an figuraliter vel an spiritualiter vel per quem modum.

37 Ymmo sepe ipsa aliqua talia verba intelligebat textualiter, sicut fecit beatus Franciscus, cum tamen Christus loquens vel mater eius illa volebant debere intelligi spiritualiter, **38** ut patet in IIII Libro Celesti, XV et LXXV capitulo et in presenti Libro Celestis Imperatoris ad Reges, XLVIII capitulo cum multis similibus capitulis contentis in dictis libris. **39** Et aliquociens loquebatur ei tali modo diuinitus verba clara, quorum veritas et significacio ei clare tunc pandebatur et aperiebatur, ut habetur in multis capitulis Libri Celestis, et vide de hoc in libro infrascripto ad reges, XLVIII capitulo prope principium.

40 Scias tamen, quod, prout ego indignus sepe audiui ab ore eius, semper in omnibus istis supradictis modis visionum maximam dulcedinem amoris Dei et ineffabilis consolacionis diuine ipsa senciebat in anima et mente sua in tantum, quod quasi nullatenus nisi cum suspiriis aut lacrimis hoc michi referre poterat.

Hic examinatur per sacram scripturam, sub qua specie visionum contineantur visiones istius libri et alie reuelate beate Brigide. Capitulum V.

1 Ex quo igitur iam certificaui dubitantes de qualitate et virtutibus persone prefate, domine Brigide beatissime, et de modis diuersis, quibus ipsa domina visiones et reuelaciones presentis libri et aliorum librorum videbat et audiebat atque senciebat, ut supra patet, **2** nunc autem restaret videre de qualitate materie ipsarum visionum et reuelacionum, **3** sed quia satis de illa tetigi supra et tangetur infra in § "Hoc eciam" et in § "Ergo, o vos imperatores" et eciam ex preiacente huius libri materia et aliorum librorum suorum patet euidenter, ideo non figo plus pedem in hoc. **4** Sed iam michi restat nunc examinare et declarando probare secundum Scripturam et dicta sanctorum doctorum, sub qua specie visionum communiter predictae sue visiones et reuelaciones contineantur.

5 Sciendum est ergo de primo, quod Augustinus in libro XII Super Genesim ad Litteram et Ieronimus in prologo Apocalipsis tria principalia genera visionum describunt, scilicet corporale, spirituale et intellectuale. **6** Visio enim corporalis est, quando videlicet corporalibus oculis aliquid videmus. **7** Spiritualis seu ymaginaria visio dicitur, cum videlicet dormientes vel vigilantes in spiritu ymagines rerum cernimus, quibus aliquid aliud significatur, sicut vidit Pharaos picas et Moyses rubum ardere, ille dormiens et iste vigilans. **8** Intellectualis autem visio est, quando videlicet Spiritu Sancto reuelante intellectu mentis veritatem misteriorum, sicut est, capimus, quo modo vidit Iohannes illa, que in libro Apocalipsis referuntur. **9** Non enim figuras tantum in spiritu vidit, sed et eorum significata mente intellexit.

10 Primum namque genus visionum, scilicet corporale, non multum tangit materiam nostram, licet tamen aliquibus vicibus ipsa beata Brigida gloriosam matrem Dei et eius filium corporalibus oculis viderit, scilicet quando erat puella. **11** Vidit enim altare et matrem Dei supra sedentem, que vocauit eam et

imposuit ei coronam, et iterum quando periclitabatur in partu et mater Dei intrauit ad eam et videntibus dominabus cunctis, que aderant, tetigit membra eius et statim liberata est, ut hoc habetur in legenda vite eius, **12** et iterum quando vidit ignem descendere de celo super altare et in manu presbiteri celebrantis hostiam et in ea agnum et faciem hominis in agno et agnum in facie, et iterum vidit in manu presbiteri in hostia infantem viuum, qui signando astantes signo crucis dixit: **13** "Benedico vos credentes; non credentibus ero iudex." Vide hec in VI Libro Celesti, LXXXVI capitulo. **14** Cumque eciam ipsa iam ageret in extremis, vidit iterum corporaliter Christum eam consolantem, ut supra dicitur. **15** Talis enim visio, credendum est, quod ab ipso Christo eidem sponse sue Spiritus Sancti ministerio in eius consolacionem fuerit ostensa et non a maligno spiritu illusore ministrata. **16** Et hoc patet clare, quia ipse Dominus Iesus Christus predixerat ei diem sui exitus quinque diebus, antequam ipsa expiraret, precipiens ei sacramenta Ecclesie suscipere et de factis suis et monasterii sui aliqua per eum tunc reuelata disponendo ordinare. **17** Quod preceptum in fine vite dyabolus ei non dedisset, si illa visio dyabolica extitisset. **18** Probatur eciam, quod illa visio fuerit a Deo ex hoc, quia in illo extremo puncto vite ipsa communionem sanctam et extremam unccionem presentibus personis multis deuote recepit. **19** Quibus susceptis et ipsum Christum oculis corporalibus tunc eam consolantem vidit et in eius manibus spiritum humiliter commendando expirauit, ut hoc patet in ultimo Libro Celesti, capitulo ultimo et in fine legende vite eius. **20** In hoc tamen modo videndi visiones, scilicet corporaliter, non figo pedem pro nunc, quia ipsa domina paucis vicibus videbat visiones corporalibus oculis.

21 De secundo autem genere visionis, scilicet spiritualis seu ymaginarie dormiencium non loquamur, quia ista sompnia suspectissima reputantur per Gregorium in quarto libro Dyalogorum, XLVIII capitulo. **22** Et habetur eciam idem in Libro IIII Celesti, XXXVIII capitulo, quamuis aliquando sompnia sint vera et bona et a Deo, ut ibi dicitur. Et ibi in Libro Celesti vide modum, quem debes tenere, quando talia sompnia eueniunt. **23** Et tali modo dormiendo vidit eciam ista beata domina, cum adhuc puella esset, semel Christum quasi tunc temporis crucifixum, et ab illa hora semper affecta fuit cordialiter ad passionem Christi. Nec talis visio sompnialis tangit materiam nostram, **24** quia ipsa domina quasi omnes visiones videbat in oracione vigilando et non dormiendo, ut in multis capitulis predicti Libri Celestis hoc patet euidenter.

25 Sed veniendo modo ad istam secundam speciem, quam dixi, scilicet visionis spiritualis seu ymaginarie vigilancium, que tangit materiam nostram, dicit sic beatus Augustinus in libro XII Super Genesim ad Litteram: **26** *Quando autem penitus auertitur atque arripitur animi intentio a sensibus corporis, tunc magis dici extasis solet. Tunc enim omnino quecumque sunt presencia corpora eciam patentibus oculis non videntur, 27 nec ulle voces prorsus audiuntur, quia totus animi contuitus aut in corporum ymaginibus est per spiritualem aut in rebus incorporeis nulla corporis ymagine figuratis per intellectualem visionem.* **28** Ex istis ergo verbis patet manifeste, quod quando dicta domina stabat in visione, sopita gaudio et sopore dulcedinis amoris diuini, alienata a sensibus corporis, ut supra ipsa narrat, quod tunc stabat in extasi alienata supra se, **29** nec talem dulcedinem et ebrietatem amoris diuini in alicuius mente dyabolus infundere potest, ut infra patebit, quia, quod ipse non habet, aliis infundere nequit. **30** Cum vero ipsa dicit supra et in libris, quod Deus animam suam tunc quasi a sompno excitabat ad videndum et audiendum atque sencendum celestia, diuina et spiritualia et quod tunc ipsa visiones videbat et vocem loquentis audiebat in spiritu, **31** tunc ostenditur clare per istud dictum Augustini suprascriptum, quod ipsa tunc stabat rapta in spiritu per spiritualem seu ymaginariam visionem, **32** quia scilicet videbat in spiritu illas ymagines seu species et audiebat locuciones illorum visorum.

33 Quando autem ipsa dixit, ut supra habetur, quod tota consciencia et intelligencia eius in illo raptu extasis replebatur et illuminabatur quodam intellectu spirituali 34 et quod in momento erant Christo loquente infusa in intellectu eius multa, ut scilicet tota Regula Saluatoris et Liber Questionum et multa alia per quendam influxum luminis intellectualis supernaturalis, 35 ecce quod per hoc clare ostenditur nobis, quod ipsa tunc stabat rapta in illo extasi, et tunc illuminabatur et illustrabatur mens et intelligencia eius diuinitus per supernaturalem, intellectualem visionem. 36 Et scias, quod hanc illuminationem seu illustrationem mentis dyabolus nullatenus potest infundere alicui, quia in visione intellectuali numquam potest anima illudi a demone, ut infra clarius patebit per Augustinum et Thomam de Aquino, et in hoc omnes doctores concordant. 37 Cum eciam ipsa dicit, quod, in illo raptu seu extasi ea existente, filius Dei vel virgo Maria vel aliquis angelus vel sanctus sibi loquebantur ea, que supra in Libro Celesti continentur et infra in presenti libro quasi per totum, 38 tunc per hoc clare colligimus, quod ipse miserator Deus ad ipsius domine et nostram utilem direccionem consciencias nostras per verba doctrine sue dignatus est illustrare, 39 et quod de secretis misteriis suis ac de rebus futuris et aliis documentis sanctissimis sua quadam diuina, interna locucione per intellectualem visionem instruere nos per ipsam dominam voluit et docere.

40 De qua quidem locucione beatus Gregorius in XXVIII libro Moraliu, capitulo II plene et pulchre nos instruit in hec verba: 41 *Sciendum, inquit, preterea est, quia in duobus modis locucio diuina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur aut per creaturam angelicam eius ad nos verba formantur. 42 Sed cum per semetipsum Deus loquitur, sola in nobis vis interne inspiracionis aperitur. Cum per semetipsum loquitur, de verbo eius sine verbis et sillabis cor docetur, 43 quia virtus eius intima quadam subleuacione cognoscitur, ad quam mens plena suspenditur, vacua grauatur. Ponderis enim quoddam est, quod omnem animam, quam replet, leuat. 44 Incorporeum lumen est, quod et interiora repleat et repleta exterius circumscribat. Sine strepitu sermo est, quia et auditum aperit et habere sonitum nescit. 45 Et subdit: Spiritum enim Dei quasi quedam nobis verba dicere est occulta vi ea que agenda sunt intimare et cor hominis ignarum, non adhibito strepitu et tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere. 46 Et postea subiungit dicens: Dei enim locucio ad nos intrinsecus facta videtur potius quam auditur, quia dum semetipsa sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostre ignorancie tenebras illustrat.* Hec ille Gregorius. 47 Tali enim interna diuina locucione ista sancta domina de hiis, que continentur in hoc libro et in Libro Celesti, ad spiritualem doctrinam imperatorum et regum et summorum pontificum ac prelatorum et omnium gencium et eciam ad conuersionem infidelium a sponso suo Christo loquente docebatur et instruebatur, ut patet per totum Librum Celestem et per presentem.

48 Subdit eciam Gregorius in preallegato capitulo dicens, quod *aliquando ymaginibus et ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis per angelos nobis loquitur Deus, 49 sicut Abraham, qui non solum tres viros videre potuit, sed eciam habitaculo terreno suscipere. 50 Et subdit dicens: Nisi enim angeli quedam nobis interna nunciantes ad tempus ex aere corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparent.* Usque hic Gregorius. 51 Tali eciam modo Deus sepe per angelum loquebatur sue sponse predictae, et presertim quando in Roma ipsa existente angelum, qui sermonem de excellencia virginis dictaret, ei misit. 52 Quem ipsa eciam corporeis oculis cotidie vidit, et ipso illum dictante per interualla temporum ipsa sermonem eundem conscripsit, ut patet supra.

53 Sed poteris querere, quare verba Dei aliquando ita obscure ab ipso dicuntur, quod diuersimode interpretari possunt, et quandoque aliter a propheta audiente et ab aliis hominibus et aliter a Deo loquente intelliguntur, 54 ut patet in beato Francisco, quando ei dictum fuit a Christo: "Vade et repara ecclesiam meam" et in multis aliis, qui verba, que spiritualiter intelligi debebant, materialiter et textualiter intellexerunt. 55 Respondeo secundum quod dicit Augustinus in libro XII Super Genesim et Thomas de

Aquino in secunda secunde in titulo "De propheta" et alii doctores, quod non semper propheta recte intelligit, que sibi in visione dicuntur et reuelantur. **56** Et super hoc vide solucionem, quam dat isti beate domine gloriosa virgo Maria in isto presenti libro infrascripto, scilicet Imperatoris ad Reges, capitulo XLVIII quasi in principio, § "Sed poteris querere" et vide in IIII Libro Celesti, XV et LXXV capitulo cum multis similibus. **57** Et tali modo dicta domina Brigida aliquando intelligebat verba visionum corporaliter seu litteraliter, et tamen Christus vel mater eius loquentes intelligebant illa spiritualiter aut figuraliter, ut supra patet in proximis allegacionibus.

58 Liqueat ergo ex predictis euidenter et ex preiacente materia librorum isti venerande domine diuinitus reuelatorum, quod ipsa habuit a Deo singularissimam gratiam spiritus prophete per internam Dei locucionem et per spiritualem et intellectualem visionem ei diuinitus gratis datam, **59** quia vera et propria propheta et reuelacio ac sciencia et doctrina causantur ex visione spirituali seu ymaginaria aliquorum corporum seu signorum **60** accedente tunc ibi influxu luminis intellectualis et supernaturalis veritatis diuine, ut patet ex modis et sentimentis supradictis, quibus ipsa visiones videbat, et ex dictis Augustini in libro XII Super Genesim ad Litteram, **61** ubi est textus clarus de hoc, quia ymagines corporales in spiritu eius expresse sunt et quasi semper earum intellectus diuinitus reuelatus in mente. **62** Ymmo audacter dico secundum beatum Thomam de Aquino in secunda secunde, questione CLXXIII et secundum alios doctores, **63** quod iste gradus prophete isti beate domine diuinitus gratis datus inter omnes alios gradus prophete aliorum iudicatur, quando scilicet propheta non solum videt signa verborum vel factorum sed etiam videt vigilando aliquem sibi colloquentem aut aliquid demonstrantem, **64** et presertim si ille loquens vel demonstrans sit in specie Dei, quia dicunt, quod per hoc magis ille propheta appropinquat ad causam reuelantem, **65** quam si ille loquens vel demonstrans se ostenderet in specie hominis vel in specie angeli secundum illud Ysaie, VI capitulo: *Vidi Dominum sedentem* etc **66** et maxime ex eo quod inter omnes scripturas omnium prophetarum clariori modo intelligendi a Deo scriptura ista prefate domine, quam alie scripture aliis prophetis, fuerit reuelata, **67** quia dicit Nicolaus de Lira in prologo super psalterium et alii doctores idem dicunt, scilicet quod ille gradus prophete est excellencior, ubi ceteris paribus est intelligencia clarior.

Hic probatur per diuinam scripturam, quod visiones et reuelaciones istius libri et aliorum beate Brigide emanerunt et processerunt a Spiritu Sancto et non ab illusionem dyabolica, et hoc probatur ex septem signis siue racionibus hic contentis. Capitulum VI.

1 Sane quia iam supra proximo clare ostensum est subtiliter intuenti, sub quo genere visionum contineantur iste presens liber et alii reuelati prefate beatissime domine Brigide, **2** idcirco nunc videamus secundum dicta sanctorum, an a Spiritu Sancto Veritatis vel an ab illusore spiritu falsitatis visiones et reuelaciones istorum librorum illi fuerint ministratae. **3** Dico igitur, quod multe differentie sunt, in quibus clare potest discerni reuelacio vel visio boni spiritus a malo tam in qualitate persone talia videntis quam in sentimentis interioribus anime ipsius, quam etiam in modo videndi et in materia visionum **4** discutiendo subtiliter ad quid illa visio nos promouet et inducit. **5** Ad quorum noticiam et practicam discernendi, ne illuderetur, ista prefata domina beatissima pluries et satis clare diuinitus fuit edocta et per visiones et documenta diuina plenius informata, **6** ut habetur in primo Libro Celesti, LIIII capitulo et in II libro, XIX capitulo et in III libro, X capitulo. **7** Et vide de hoc septem differentias, que assignantur isti domine Brigide, sponse Christi,

a virgine Maria inter visiones boni spiritus et mali satis pulchre in IIII libro, XXIII capitulo et CX capitulo et in VI libro, LXVIII capitulo et LXIX et XCII capitulo cum multis similibus.

8 Et licet tam clara et notorie manifesta est ista gracia diuina prefate beate domine diuinitus gratis data, **9** quod nulla suspicione fallacis spiritus valet obfuscari, maxime cum iam ipsa de hoc alias fuerit in regno Suecie diligenter examinata per prelatos ac viros spirituales et magistros in theologia, **10** et licet per eos fuerit determinatum, quod ista gracia sit diuina et a Spiritu Sancto diuinitus ei data, ut supra dixi, **11** et licet eciam iterum in Neapoli in presencia domini Bernardi archiepiscopi et trium magistrorum in theologia et aliorum plurium militum et peritorum virorum me teste ista gracia fuerit approbata, **12** ymmo quedam reuelacio, quam tunc ipsa domina eis presentauit, per unum dictorum magistrorum ex precepto domine regine et archiepiscopi coram toto populo ciuitatis ad hoc vocato specialiter fuerit in ecclesia cathedrali publicata et solempniter predicata, **13** nichilominus tamen ad maiorem habundanciam et ut mordacibus detractoribus et calumpniatoribus silencium imponatur et pie de hoc dubitantibus plena satisfaccio impendatur, volo probare per dicta doctorum Sacre Scripture et sanctorum patrum, **14** quod ista sint a Deo infusa et data prefate domine ad informacionem et utilitatem tocius corporis Ecclesie et direccionem omnium electorum et non a spiritu maligno illusorie ministrata, **15** et hoc probo per septem signa seu raciones infra scriptas, quibus discernitur visio boni spiritus ab illusionem dyabolica.

16 Primum signum certissimum est, quod visio sit diuina, quando scilicet illa persona visiones videns est realiter humilis et viuit sub obediencia et disciplina continua alicuius patris spiritualis discreti, senioris et virtuosi et experti in vita spirituali, **17** et quando non presumit de se ista persona videns nec extollitur nec se iactat nec appetit laudes humanas nec occultat visiones, **18** sed cum humilitate vera viuens omnes visiones et temptaciones suas statim detegit et exponit humiliter examini et iudicio sui patris spiritualis aut aliorum seniorum patrum spiritualium **19** et tunc ut approbatum recipit, quod ille vel illi approbant, et ut reprobata repudiat illa, que illi reprobanda diffiniunt. **20** Talis enim anima, dico, quod non potest illudi, et de hoc est textus clarus in libro Collacionum Patrum Iohannis Cassiani, collacione secunda, capitulo "Et ut hanc eandem", que loquitur de illo monacho sub specie angeli lucis deluso a dyabolo, **21** et eadem collacione, capitulo "Tunc Moyses", ubi idem abbas Moyses de hoc loquitur in hec verba: *Nullatenus enim, inquit, decipi quisque potest, qui non suo iudicio sed maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorancie eius callidus hostis illudere, 22 qui uniuersas cogitaciones corde nascentes perniciose verecundia nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat vel admittit. 23 Illico namque, ut patefacta fuerit cogitacio maligna, marcescit, et antequam discrecionis iudicium proferatur, 24 serpens teterrimus velut a tenebroso, subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem et traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit. 25 Tamdiu enim suggestiones noxie dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.* Hec ille Moyses. Et vide ibidem in capitulo sequenti.

26 Igitur cum prefata domina, beata Brigida, viuebat semper sub speciali obediencia et doctrina patrum spiritualium seniorum et virtuosorum etc et habuerit in se profundissimam veram humilitatem **27** et omnes visiones et temptaciones suas ac eciam alia facienda humiliter supposuerit obediencie, examini et iudicio predictorum et eciam aliorum seniorum, ut supra dixi, **28** ideo clare concluditur ex predicta determinacione illius sancti patris Moysi et aliorum patrum sanctorum, quod omnia sibi reuelata in libris processerunt a Spiritu Sancto et non a dyabolico illusore, **29** et hoc est clarum et manifestum signum apud omnes vere spirituales et doctrina generalis omnium ad euadendum temptaciones et dyabolicas suggestiones et illusiones.

30 Secundum signum visionis diuine, in quo non potest anima decipi, est quando anima tempore, quo videt visionem, sentit se tunc totam repleri et quodammodo dulciter inebriari et inflammari igne infusionis dulcedinis caritatis diuine et quodam sapore interne dulcedinis amoris Dei. **31** Dico enim, quod istam internam caritatem et dulcedinem amoris diuini, quam dyabolus non habet, nullo modo potest eam infundere in anima alicuius, quia nullus dat quod non habet, **32** et ideo concluditur, quod qui talia operatur in anima, Deus est, **33** presertim si tunc illa anima tota roboratur et repletur illuminatione quadam firme credulitatis et obediencie et reuerencie fidei catholice et sancte matris Ecclesie, ut habetur in IIII Libro Celesti, LXXVIII capitulo cum similibus. **34** Probatum etiam hoc pulchre per Hugonem de Sancto Victore in Soliloquio de Arra Anime in fine tocius tractatus, ubi anima loquitur ei sic dicens: **35** *Hoc, inquit, ultimum interrogacionis mee suscipias, queso: Quid est illud dulce, quod eius me recordacione tangere solet et tam vehementer atque suauiter afficere, ut iam tota quodammodo a memetipsa alienari et nescioquo extrahi incipiam?* **36** *Subito immutor. Bene esse incipio ultra quam dicere sufficiam. Exhilaratur consciencia, in obliuionem venit preteritorum dolorum, exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, desideria iocundantur,* etc. **37** Cui anime ipsemet Hugo sic pulchre respondens ait: *Vere ille est dilectus tuus qui visitat te, id est Deus,* etc. **38** Et idem dicit beatus Antonius valde late et pulchre docendo discipulos suos discernere visiones bonas ab illusionibus, ut habetur in Vitis Patrum, in primo libro, in legenda beati Antonii, ibi: *Nunc iam ceteras vobis demonum explicabo fallacias,* etc. Et ibi vide plene. **39** Dicit etiam Gregorius in Moralibus, libro XXVIII, capitulo II, quod *cum Deus per semetipsum anime loquitur, 40 sola in nobis vis interne inspiracionis aperitur, quia virtus eius intima quadam dulcissima subleuacione cognoscitur,* etc. **41** Et vide hoc clarius in IIII Libro Celesti, LXXVIII capitulo et in ultimo libro, capitulo IIII et in capitulis eiusdem Celestis Libri supra proximo preallegatis cum multis similibus. **42** Ex quibus probatur, quod omnia reuelata beate Brigide, que in istis libris continentur, non ab illusione terribili sed a Spiritu Sancto, consolatore suauissimo, fuerunt ei ministrata, **43** quod patet per istas allegaciones supradictas et per illa consolatoria sentimenta similia, que ipsa sentiebat tempore, quo visiones videbat et diuinas locuciones audiebat, ut patet supra per verba eius, que ibi continentur.

44 Tercium signum est, in quo cognoscitur seu discernitur visio diuina ab illusionem dyabolica, **45** quando scilicet anima existens in visione siue corporali siue ymaginaria et spiritali sentit influxum intellectualis supernaturalis luminis intelligibilis veritatis **46** et comprehendit tunc significaciones veras illorum visorum et verborum, et aperitur clare tunc intellectus eius ac ostenditur seu manifestatur ei veritas illius materie. **47** Iste enim influxus intellectualis, supernaturalis luminis seu visionis, siue precedat visio corporalis aut ymaginaria siue non, numquam a dyabolo potest infundi in anima, sed solum a Deo, **48** ut ait Thomas de Aquino in secunda secunde, titulo "De propheta", questione LXXVIII, ubi sic dicit: **49** *Demonum, inquit, ea, que sciunt, hominibus manifestant non quidem per illuminationem intellectus sed per aliquam ymaginariam visionem aut etiam sensibiliter colloquendo sed non intellectum illius illuminando. Et in hoc deficit et differt hec propheta a vera.* **50** Augustinus etiam in libro XII Super Genesim ad Litteram sic ait: *Illudatur autem anima et fallitur in corporali visione,* etc. **51** Et postea subdit: *In visione autem spiritali seu ymaginaria, id est in corporum similitudinibus, que in spiritu videntur, fallitur etiam anima, cum ea, que sic videt, ipsa corpora esse arbitratur,* etc. **52** Post hec autem subdit dicens: *At vero in illis intellectualibus visis non fallitur anima,* etc. **53** Et postea subiungit: *Et si videntur futura ita, ut omnino futura noscantur, quorum ymagines presentes iudicentur siue ipsa diuinitus adiuta siue aliquo inter ipsa exponente, quid significant, sicut in Apocalypsi Iohannis exponebatur, 54 magna reuelacio est, etiam si forte ignoret ille, cui hec demonstrantur, utrum e corpore exierit an adhuc sit in corpore, sed spiritu a sensibus alienato ista videat.* Usque hic Augustinus.

55 Sed circa hoc queri potest, que differentia est inter reuelacionem, que fit conficte humano intellectu seu per illusionem in ymaginacione et intellectu hominis et illam, que fit diuinitus per intellectualem visionem. **56** Respondeo secundum Thomam in secunda secunde, questione CLXXIII, articulo II, quod *prophecia seu reuelacio, que fit secundum ymaginacionem et iudicium humane mentis, fit secundum vim intellectualis luminis naturalis, 57 sed per donum prophecie diuine confertur aliquid humane menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem quantum ad utrumque, 58 scilicet quantum ad iudicium per influxum intellectualis luminis et quantum ad acceptionem seu representacionem rerum, que fit per aliquas species, 59 et quantum ad istud secundum potest assimilari reuelacio conficta humanitus aut dyabolica reuelacioni diuine prophecie sed non quantum ad primum.* Usque hic Thomas de Aquino.

60 Ex quibus patet, quod cum intellectuale lumen supernaturale influitur anime existenti in ymaginaria visione siue non existenti, non a dyabolo esse potest sed a Deo. **61** Concluditur ergo clare, quod cum prefata beata domina in visionibus suis suscepit illum influxum luminis intellectualis et supernaturalis et semper ibi fuit aliquis exponens, ut Christus aut mater eius vel angelus aut aliquis sanctus, **62** a quibus declarabantur et exponebantur ei similitudines ille et verba figuraliter sibi dicta et ostendebantur illi vere significaciones illorum visorum, ut patet in libris suis, **63** sequitur ergo, quod omnes iste sue reuelaciones et scriptura istorum librorum a Deo ministratae sint, qui talia operari potens est, non autem ab illusore, cui hec facere impossibile est, **64** ut supra patet per Augustinum et Thomam, quia in hoc differt visio illusoria a visione diuina, et in hoc omnes sancti patres et doctores concordant.

65 Quartum signum est, in quo differt visio seu reuelacio boni spiritus ab illusionem dyabolica, quando scilicet ille propheta seu videns semper vera predicat et catholica misteria et documenta loquitur et honestos ac virtuosos mores indicat. **66** Et hec sunt signa, quod talia a Deo sint, quia dyabolus in illusionibus suis interdum dicit vera, ut decipiat, et aliquando falsa, sed Spiritus Sanctus semper vera et numquam falsa predicat. **67** Quod clare probat beatus Thomas ubi supra sic dicens: *In aliquibus enim signis discerni potest etiam exterioribus prophecia demonum a prophecia diuina.* **68** Unde dicit Crisostomus super Matheum, quod *prophetant in spiritu dyaboli, quales sunt diuinatores, sed sic discernitur, quoniam dyabolus interdum falsa dicit sed Spiritus Sanctus numquam.* **69** Unde dicitur Deutronomii XVIII capitulo: *Si tacita cogitatione responderis: "Quomodo possum intelligere verbum, quod non est locutus Dominus?" 70 hoc habebis signum: "Quod in nomine Domini propheta ille predixerit et non euenerit, hoc Dominus non est locutus"* etc. **71** Dicit etiam Augustinus in libro XII Super Genesim ad Litteram, quod *quando aliqui stantes in extasi eleuacionis mentalis, videntes in ymaginaria seu spirituali visione aliqua signa vel ymagine corporum, 72 quod si in hoc eos malus arripuerit spiritus, aut demoniacos facit aut arrepticios aut falsos prophetas, 73 cum autem bonus, facit eos fideles, misteria loquentes aut accedente diuini luminis intelligencia veros prophetas aut ad tempus id, quod per eos oportet ostendi, videntes atque narrantes.* Hec Augustinus.

74 Et ideo cum ista beata domina semper, si bene intelligantur, vera predixerit, nec in omnibus libris suis aliquid falsum vel mendacium vel inhonestum vel non catholicum dixerit, **75** sed omnia vera annunciauerit et confirmancia fidem catholicam ac dampnancia hereticos et semper virtutes indicauerit, ut patet in isto libro et in aliis libris ei reuelatis, **76** ideo concluditur clare, quod omnia ista diuina gracia infusa et ostensa ei sint et non illusionem dyabolica.

77 Quintum signum, in quo discernuntur visiones ministratae a bono spiritu vel a malo, est fructus ille et opera, que procedunt ab illis visionibus seu reuelacionibus, **78** quia secundum Euangelium *non potest arbor mala fructus bonos facere, etc. A fructibus enim eorum cognoscetis eos.* **79** Nam prophecia vera

ordinata et data fuit hominibus ex magna miseracione Dei ad humanorum actuum direccionem et ad regimen agendorum aut ad reuelacionem misteriorum quasi quoddam lumen diuinum, **80** quo homines dirigerentur et instruerentur tam in cognicione fidei quam in omnibus operibus virtuosis secundum quod erat expediens ad salutem electorum. **81** Et diuersificata fuit propheta semper secundum diuersificacionem temporum et negociorum, sicut ponit Thomas in secunda secunde, titulo "De propheta", articulo II, capitulo ultimo. **82** Nam dicitur Prouerbiorum XXIX: *Cum defecerit propheta, dissipabitur populus.*

83 Et ideo quando videmus, quod ex talibus visionibus seu verbis reuelatis mens illuminatur, intellectus et consciencia videntis illustratur et vita eius corrigitur et emendatur, **84** conuertuntur homines viciosi ad virtuosam et religiosam vitam et de guerra et odio ad pacem, de superbia ad humilitatem et obedienciam et de malo ad bonum et hoc in multis personis et diu perseuerat, **85** tunc certissimum signum est, quod tales visiones et reuelaciones, que talem fructum germinauerunt et produxerunt, non a dyabolo sed a Spiritu Sancto potius processerunt. **86** Que facere dyabolo impossibile est, ymmo totum contrarium procedit a visionibus seu potius illusionibus suis. **87** Consueuerunt enim deuiare hominem a fide catholica, a bonis moribus, a sana doctrina et ab obediencia prelatorum et Sacre Scripture ac eciam a subieccione Sancte Matris Ecclesie etc. **88** Cum igitur ab istis visionibus et reuelacionibus et verbis istorum librorum reuelatis prefate domine beatissime semper processerunt illa, que Dei sunt, et omnis virtus et mundicia morum et conuersio et emendacio proximorum, reuelacio misteriorum, roboracio fidei, dampnacio hereticorum, increpacio viciorum et propheta vera futurorum etc, **89** que omnia in libro hoc et in aliis suis libris et per experienciam notoriam et manifestam in multis personis et mundi partibus sunt patencia, **90** ideo concluditur necessario, quod a fonte purissimo et limpidissimo Spiritus Sancti et non a tenebroso lacu fetido illusionis hec omnia flumina processerunt, **91** ut in isto moderno tempore viciorum caligine tenebroso per istam doctrinam sanctam in agendis suis homines instruerentur **92** et sic fugerent a terribili et districta iusticia diuina in hiis libris contenta ad gremium pietatis et misericordie Dei.

93 Sextum signum est, quod hec a Deo sint et non a maligno spiritu, mors seu finis laudabilis et virtuosus persone videntis visiones. **94** Nam sciendum est, quod quando alique persone a visionibus seu potius illusionibus sub specie lucis longeue decepte fuerunt, ostendendo eis dyabolus multa vera, ut in fine in uno falso eas deciperet, **95** communiter semper inuenimus in scriptura sanctorum patrum, quod isti sic delusi in aliquos errores vel morte mala aut subitanea aut sine percepcione sacramentorum in fine ipsorum a dyabolo extincti sunt. **96** Et hoc voluit Deus semper aliis patefacere, ut a similibus illusionibus coloratis doceret eos cauere, **97** sed per contrarium in sanctis suis, qui diuinis visitacionibus seu visionibus in vita eorum consolabantur et illuminabantur, Deus in eorum morte operari solitus est, **98** quia in vita eorum semper eos protegendo direxit ac ipsos multis virtutibus et miraculis adornauit. **99** In morte quoque per aliquam singularem gratiam quasi quodam approbacionis indicio eos mirifice clarificauit, sicut patet in Iohanne Euangelista et in multis similibus. **100** Sic eciam fecit cum ista prefata sponsa sua beatissima ipse bonus Iesus, nam preuenta fuit eius mira superna gracia, quia ordinato progressu ab infimis ascendit ad summa. **101** Fuit enim humilitate sublimis, mortificacione viuida, simplicitate prudens omnique morum honestate conspicua, **102** propter quod ipse eam in vita sua mirandis graciis supernaturalibus extulit et diuinis visionibus et locucionibus ad utilitatem Ecclesie seraphice decorauit, **103** necnon et in fine vite mortem ei ante predixit et in exitu suo in signum approbacionis eius corporalibus oculis consolatorie se ostendens ut dilectam sponsam ad celestes nupcias ipsius animam dulcissimo amplexu recepit, ut supra dictum est. **104** Et vide hoc clare in ultimo Libro Celesti, capitulo ultimo et in legenda vite eius. **105** Tali enim approbacionis sigillo voluit ipse Deus scripturam istorum librorum eidem sponse diuinitus reuelatam, quodammodo authenticare et ad utilitatem Ecclesie et fidelium eam mirifice sigillare, **106** quia ei, cui in vita

toiciens per propheticam spiritualem et intellectualem visionem apparuit, ante eius exitum, mortem ei predicando, se per plus quam propheticam scilicet corporalem visionem monstrauit.

107 Septimum signum boni spiritus est clarificatio miraculorum post mortem videntis visiones, nam qui usque ad mortem per visiones a demone illuditur, dignum non est, quod post mortem diuinis miraculis clarificetur. **108** Et quia ista Christi dignissima sponsa a dyabolo in visionibus suis in vita delusa non fuit, **109** ideo post eius exitum multis et mirandis miraculis eam Christus clarificauit per resuscitacionem scilicet multorum mortuorum et per illuminaciones cecorum et sanaciones surdorum et per innumeras curaciones mirificas de diuersis infirmitatibus infirmorum, ut quam ipse in vita fecerat claram, post mortem nobis ostenderet clariorem. **110** Que omnia in tantum sunt notoria et manifesta et per documenta autentica diuulgata et probata tam in regno Suecie quam in Roma et in regno Sicilie et in aliis multis partibus mundi, **111** ubi ad eius memoriam et reuerenciam a fidelibus ymago eius depicta per multas ecclesias inuenitur, quod alia non indigent probacione nec aliqua possunt iam tergiuersacione celari.

112 Hoc eciam mentes omnium ista diuinitus reuelata legencium preparare debet ad faciliorem credulitatis acceptionem et veritatis, quod tanta verba tantaque miracula in istis Celestibus Libris tam seriose contenta non aliam fidem predicant nisi quam Christus predicauit. **113** Non nouum nobis Christum nec eciam antichristum inducunt, sed eundem credendum, amandum feruencius et timendum nos admonent, qui pro nobis passus in cruce fuit. **114** Nichil veritatis, que in Christo est, subtrahunt aut addunt, sed misericordia et iusticia eius ad profectum salutis nostre in eis quam in aliis libris prophetarum diuinitus clarius ostenditur. **115** Docent enim nos verba ista celestia istorum librorum Deum timere recte, diligere pie et desiderare celestia sapienter.

116 Probate igitur vos ista predicta legentes, et si aliter inueneritis, audacter contradicite. Hoc habetur in secundo Libro Celesti, XIII capitulo in fine. **117** Cedat igitur temeritas suspicionis fallacis spiritus ac detraccio superba et inuida stulti iudicii, et detur locus glorie et gracie Dei, que tanto maior esse dinoscitur, quanto ignorancie et modice fidei nostre videtur incredibilior. **118** Gracias ergo patri misericordiarum et Deo tocius consolacionis agamus, qui in tot senescentis mundi miseriis tot misericordiis occurrit miseris, ne labantur in baratrum desperacionis.

Recapitulacio omnium predictorum. Capitulum VII.

1 Recapitulando igitur supradictum modum examinis faciendi in personis, que vident visiones et reuelaciones, dico breuiter, quod persona, que in examine reperitur vere humilis et presertim, **2** si viuut sub obediencia patris spiritualis contiuna, cuius discrecioni omnia subicit, et mens eius in oracione rapta in extasim sentit singularem dulcedinem amoris diuini, **3** et tunc in ymaginaria visione existens aut sola intellectuali simplici sentit influxum supernaturalis luminis intellectualis veritatis diuine, et manifestatur ei tunc veritas illius materie **4** et semper vera predicat in visionibus suis, a quibus visionibus fructus edificacionis et emendacionis sui et proximorum semper procedit, **5** dico, quod talis persona non illuditur a dyabolo, nec visiones eius sunt illusorie et despiciende, ymmo totaliter sunt diuine et humiliter tamquam de manu Dei recipiende et credende ac omnimode obediende et exequende, **6** ut ex omnibus supradictis patet breuiter et ex dictis omnium doctorum et sanctorum patrum super hac materia multifarie, diffuse loquencium.

Incipit prologus Libri Celestis Imperatoris ad Reges, in quo continetur modus compilacionis eius et admonentur reges et principes, quod recipiant hunc librum deuote et humiliter de manu Dei et cum corde et opere sequantur hanc doctrinam feruenter. Capitulum VIII.

1 Ad presentis quippe libri nunc iam materiam descendendo sciendum est, quod iste liber infrascriptus intitulatur Celestis Imperatoris ad Reges. **2** Qui reuelatus diuinitus fuit per spiritualem et intellectualem visionem prelibate beatissime domine Brigide, quondam serenissime principisse Nericie de regno Suecie, que nata fuit, ut supra dixi, de illustri prosapia et patria regum Gothorum. **3** Dignum namque erat, ut quam imperator Christus in sponsam acciperet et ad reges et imperatores specialem nunciam et quasi quodammodo apostolam cum suis nouis litteris et verbis euangelicis mitteret, **4** non plebeia aut rusticalis prosapie sed regalis propaginis et nacionis staret.

5 At vero quia in illo magno volumine Libri Celestis, in quo septem libri continentur, multe reuelaciones ad reges et imperatores pertinentes incluse iacebant **6** et eciam extra illud quamplures eiusdem materie vagabant et ut omnes eiusdem materie in uno eodemque volumine texerentur, **7** ideo de illo spacioso viridario predicti Libri Celestis illas ad hoc pertinentes transumptiue extraximus, et quasi flores ad fabricandam nouam coronam regalem cum aliis extra vagantibus contexendo in istum librum compilando posuimus. **8** Beatus enim qui legit et qui audit verba prophecie huius libri et seruat ea, que in eo scripta sunt. Tempus enim prope est.

9 Ergo, o vos imperatores et reges ac omnes regine et ceteri principes, inclinate capita vestra Deo, **10** id est humiliare mentes vestras superbas ambicione et cupidine plenas et suscipite humiliter istam nouam, preciosam, celestem, regalem coronam de manu tam regalis et pulcherrime sponse Christi, quam ipse vobis per eam tam benigne et misericorditer destinauit, **11** hoc est istam sanctam presentis libri doctrinam, que tractat, qualem habitum et quibus diebus reges coronam debeant apportare ac eciam qualem morigerosam vitam deuotam et honestam debeant reges facere **12** qualesque regine uxores eorum esse debeant, quales homines reges ipsi in consiliarios sibi assumant et teneant et quales a se remoueant et expellant, **13** qualiter milites creare et nobiles ac eciam subditos et plebeyos tractare debeant, qualiter sua regna regant et rem publicam promoueant et eam zelando tenera compassione custodiant, **14** qualiter passagium et guerras contra infideles discreto ac iusto et meritorio modo faciant. **15** Et ultimatim in hoc libro ostenditur eis ex ore sedentis in throno gladius bis acutus, id est iusticia Dei terribilis super aliquos reges, qui in vita sua regno et corona propter peccata eorum priuati et morte mala et vituperosa isto diuine iusticie gladio occisi sunt **16** et eciam iusticia Dei terribilis contra alios reges mortuos, quorum animas prefata sponsa Christi in diuino iudicio miro et districto modo iudicari et condempnari videbat, **17** ut regibus ex hoc ostendatur modernis, quam acutus et seuerus est iste gladius diuinus, **18** qui cum una acie acuta scindendo punit aliquos in honore et vita per humiliacionem et mortem, alios vero cum alia acie acutiori punit post mortem in anima per penam horribilem et dampnacionem eternam, **19** ut sic omnes reges et principes sciant, quod apud Deum non est accepcio personarum, sed omnino intelligant quam districtum ante et post mortem iudicium diuinum expectant quantumque et qualiter in suis agendis Deum formidando timeant.

20 Idcirco nunc, reges, intelligite et erudimini ex istis omnes, qui iudicatis terram! Seruite Domino in timore et exultate ei cum tremore! **21** Apprehendite, queso, hanc humiliter disciplinam, ne quando irascatur Dominus, quia cum exarserit in breui ira eius, beati omnes, qui puro corde et iusto opere sperauerunt in eo, qui rex est regum ac dominus dominancium in secula seculorum! Amen.

Incipit Liber Celestis Imperatoris ad Reges reuelatus diuinitus beate Brigide principisse Nericie de regno Suecie.

Summus imperator Christus per sponsam loquitur ad reges ostendens se esse verum omnium creatorem et regem in trinitate et unitate regnantem et dicit, qualiter mundum ordinauit regendum duplici potestate, scilicet ecclesiastica et laycali, que in apostolis Petro et Paulo principaliter designantur. Capitulum I.

1 Vidi palacium grande incomprehensibile magnitudine simile celo sereno, in quo erant innumerabiles persone sedentes in sedibus, indute vestibus albis et fulgidis quasi radii solis. **2** In palacio vero vidi thronum mirabilem, in quo sedebat quasi unus homo fulgencior sole, incomprehensibilis pulchritudinis et immense potencie dominus, cuius splendor erat incomprehensibilis in longitudine et profunditate et latitudine. **3** Virgo autem quedam stabat iuxta sedem throni mirabili fulgore choruscans, habens in capite preciosam coronam. **4** Et omnes illi assistentes seruiebant sedenti in throno laudantes eum in ymnpnis et canticis et honorabant illam virginem reuerenter ut reginam celorum.

5 Ille igitur qui sedebat in throno voce honestissima dixit michi: "Ego sum creator celi et terre, unus cum Patre et Spiritu Sancto verus deus, quia Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tres dii sed tres persone et unus Deus. **6** Nunc autem querere poteris: Si tres sunt persone, quare non tres dii? Respondeo tibi, quod Deus est ipsa potencia, ipsa sapiencia, ipsa bonitas, **7** a quo est omnis potestas infra celum et supra, omnis sapiencia et omnis pietas, que posset cogitari. Itaque Deus trinus est et unus: trinus in personis, unus in natura. **8** Nam potencia et sapiencia est Pater, a quo sunt omnia, et qui est ante omnia potens, non aliunde sed a seipso et eternaliter. **9** Potencia et sapiencia eciam Filius equalis Patri, non a seipso potens sed a Patre potenter et ineffabiliter genitus, principium de principio et a Patre numquam separatum. **10** Potencia et sapiencia eciam Spiritus Sanctus, a Patre et Filio procedens, eternus cum Patre et Filio et equalis in maiestate et potestate. **11** Unus ergo Deus et tres persone, quia una natura trium, una operatio et voluntas, una gloria et potestas; qui ita est unum in essencia, quod eciam sunt distincti proprietate personarum. **12** Nam totus Pater est in Filio et Spiritu, et Filius in Patre et Spiritu et Spiritus in utroque in una deitatis natura. Non sicut prius et posterius sed ineffabiliter, ubi nichil est prius aut posterius, nichil alio maius aut minus vel alterius sed totum ineffabile et equale. **13** Propterea bene scriptum est, quod Deus est mirabilis et multum laudabilis.

Deitas quippe misit verbum suum Marie virgini per angelum suum Gabrielem. **14** Nichilominus tamen idem Deus mittens et missus a seipso erat cum angelo, erat in Gabriele et ante Gabrielem in virgine. **15** Dicto autem verbo ab angelo verbum factum est caro in virgine. Hoc verbum ego sum, qui loquor tecum. Pater enim misit me per seipsum cum Spiritu Sancto in ventrem virginis, **16** non sic, quod angeli caruerunt visione et presencia deitatis mee, sed ego Filius, qui fui cum Patre et Spiritu Sancto in ventre virgineo, idem eram in celo cum Patre et Spiritu in visione angelorum, omnia gubernans omniaque sustentans, licet humanitas mea a me solo assumpta requieuit in ventre Marie. **17** Ego igitur in deitate et humanitate unus Deus ad ostensionem caritatis mee et in robur Christiane fidei sancte non dedignor loqui tecum. **18** Et licet humanitas mea videatur esse iuxta te et loqui tecum, verius tamen est, quod anima tua et intelligencia tua mecum est et in me. Nichil enim michi est impossibile et nichil difficile in celo et in terra.

19 Ego quippe sum sicut rex potens, qui cum exercitu suo veniens ad ciuitatem omnia loca implet, omnia occupat. Sic gracia mea omnia membra tua replet, omnia fortificat. **20** Ego denique sum in te et extra te. Ego, quamuis loquar tecum, idem tamen sum in gloria. Quid michi difficile est, qui potencia mea omnia sustento, sapientia mea omnia dispono, virtuositate mea omnia supero? **21** Ego igitur cum Patre et Spiritu Sancto sine principio et sine fine unus Deus, qui pro salute hominum in humanitate assumpta, deitate illesa permanente, vere passus sum, resurrexi et ascendi, nunc veraciter loquor. **22** Ego sum verus et summus imperator et dominus. Nullus enim dominus est me excellencior nec ante me fuit nec post me erit. Sed omne dominium est a me et per me. **23** Ideo ego verus sum dominus, nec aliquis vere dominus dicendus est nisi ego solus, quia a me est omnis potestas et dominacio, et potencie mee nullus resistere poterit.

24 Ego eciam sum rex corone. Numquid, sponsa mea, scis tu, quare dixerim 'rex corone'? Certe deitas mea sine principio erat et sine fine erit et est. **25** Hec igitur deitas merito corone assimilatur, quia corona sine principio et sine fine est. Sicut autem in regno corona seruatur regi futuro, sic deitas mea seruabatur humanitati mee, qua ipsa coronaretur. **26** Ego autem habui duos optimos famulos. Unus eorum erat clericus et alter laycus. Primus erat Petrus apostolus meus clerici officium habens. Secundus fuit apostolus Paulus quasi laycus. **27** Petrus fuit alligatus coniugio. Qui videns coniugium cum officio clerici non posse conuenire et rectitudinem mentis sue in incontinenca periclitari perpendens, separauit se quantum ad commixtionem carnalem a coniugio, quamuis licito, et perfecta mente adhesit michi. **28** Paulus autem castitatem seruauit et se immaculatum a thoro custodiuit.

29 Ecce, qualem caritatem cum istis duobus feci! Nam Petro dedi clauas regni celorum, ut quecumque ligaret et solueret in terra ligata et soluta essent in celis. Paulo vero dedi, ut similis Petro fieret in gloria et honore. **30** Et ideo scias, quod sicut in terra pares fuerunt et coniuncti, sic nunc in celo in gloria perpetua coniuncti sunt et glorificati. Sed licet istos duos expresse nominaui, tamen in eis et cum eis alios pontifices et reges et amicos meos intelligo. **31** Quia sicut olim in lege ad solum Israel quasi ad unum hominem loquebar, cum tamen totum Israeliticum populum notabam, sic nunc in istis duobus plures intelligo, quos gloria mea et caritate mea repleui. **32** Procedente autem aliquo tempore ceperunt mala multiplicari et caro infirmari et procliuior solito ad malum esse. **33** Propterea utrique statui, clericorum scilicet et laycorum, quos in Petro et Paulo intelligo, misericorditer consulens permisi clericos bona Ecclesie ad utilitatem corporis moderate habere, ut eo feruenciores et frequenciores essent in seruicio meo. **34** Placuit eciam michi quod layci honeste viuerent in coniugio suo iuxta ritum Ecclesie."

Summus imperator Christus disponit hic primo de regibus, quales consiliarios debeant habere, et dat eis

decem consilia utilissima et moralia. Capitulum II.

1 "Ego sum verus rex et nullus est dignus vocari rex nisi ego, quia a me est omnis honor et potestas. Ego sum qui iudicauim primum angelum, qui cecidit propter superbiam, cupiditatem et inuidiam. **2** Ego sum qui iudicauim Adam et Cain et totum mundum, immitendo propter hominum peccata diluuium. **3** Ego idem sum qui populum Israeliticum permisi in captiuitatem venire et eum in signis mirabilibus de captiuitate mirabiliter eduxi. **4** In me est omnis iusticia et erat sine principio et sine fine erit. Nec aliquando iusticia minuitur apud me, sed semper vera in me permanet et immutabilis. **5** Et quia rex iste Swecie querit a te humiliter, quomodo in regimine viuat iuste et prudenter, ideo ego indicabo ei. Decem igitur sunt ei facienda.

6 Primum est, quod remoueat a se illos consiliarios, quorum corda sunt ambiciosa et cupida, quorum lingua duplex et dolosa, quorum oculi sunt ad spiritualia lippientes. **7** Eligat vero illos, qui non vendunt iusticiam pro pecunia, qui erubescunt mendacium et assentaciones, qui diligunt Deum plus quam carnalia et qui proximorum miseris compaciuntur. **8** Secundum est, quod volo quod ipse rex adiuuet suo subsidio ad edificacionem monasterii tui, cuius regulam ego ipse dictaui. **9** Tercium est, quod ipse mittat vasallos suos et gentes ad illa loca infidelium, ubi fides catholica et caritas augeri potest. **10** Nam ideo vasalli sui interfecti fuerunt in ciuitate Hampnis, quia ipse ambiuit partem regni alieni Christianorum.

Quartum est, quod ipse rex legat cotidie horas beate virginis Matris mee. **11** Et cum iudicia et aliqua ardua inter manus habuerit, dimittere potest horas diei. Audiat eciam duas missas priuatas vel unam cantatam omni die. **12** Recordetur quoque omni die quinque vicibus de quinque vulneribus meis, que pro eo sustinui in cruce. Quintum est, quod ieiunet vigiliis sanctorum et Matris mee, que ab Ecclesia Sancta constitute sunt. **13** Sextam vero feriam ieiunet in piscibus et sabbatum, si voluerit, in lacticiniis. Quadragesimam vero obseruet iuxta morem patrie. **14** Sed hoc attendat in ieiunio suo, quod sit moderatus et temperatus, ne propter inconuenientia ieiunia aut propter indiscretas vigiliis et prolixas oraciones priuatas tepidus sit in consiliis aut remissus in iudiciis faciendis. **15** Sed quando labor maior ei accreuerit, tunc obediatur consilio et potestati et dispensacioni prelatorum Ecclesie mee.

16 Sextum est, quod quemlibet decimum denarium, qui fisco regio debetur, tribuat in elemosinam pauperibus. Si vero aliqua alia pie supererogare ob amorem meum voluerit certa de causa, maior tunc erit ei merces. **17** Septimum est, quod omni sexta feria colligat tredecim pauperes et lauet pedes eorum et tribuat eis victum et pecuniam manu sua, nisi forte fuerit in via, propter quam talia sunt omittenda. **18** Ipsa quoque sexta feria exoccupet se totum, quando habet residenciam quietam, et audiat illa die querimonias subditorum communitatis regni. **19** Et tunc eciam inquiret de fidelitate et regimine prepositorum et iudicum regni et vasallorum et de exactoribus seu collectoribus tributorum et reddituum regalium. **20** Octauum est, quod ipse rex sit discretus in donis suis, ut sic uni tribuat, quod aliis non sit auarus. **21** Et si alicui pro vite merito et ampliori labore plus quam aliis donare voluerit, eciam hoc faciat cum maturitate et cautela, ne notetur in rege inequalitas vel occasio murmuracionis. **22** Quia nichil sic reprehensibile in potentibus dominis est sicut prodigalitas aut nimia tenacitas. Et nichil ita decet et ornat regem sicut imperare cum modestia et laborantes in seruicio suo remunerare cum caritate. **23** Poterit eciam rex dare dona sua eciam extraneis conseruantibus pacem regno suo et hiis, qui necessitatem paciuntur. Sic tamen hoc faciat, quod vasalli et familiares proprii non negligantur aut obliuiscantur.

24 Nonum est, quod legem Dei non transgrediatur nec nouas inducat consuetudines contra statuta laudabilia, **25** nec potestatiue disponat et iudicet que occurrunt menti eius. Sed iuste secundum legem Dei et regni agat omnia, quia non decet regem multa precipere et nichil agere iusticiamque relinquere et crudeliter imperare. **26** Decimum est, quod rex se talem operibus exhibeat, quatenus dignus sit nomine regio, fugiendo cupiditatem et diligendo veraciter humilitatem. **27** Quia quanto rex maior est ceteris, tanto humilior sit coram Deo, a quo omnis potestas est, qui ita in iudicio racionem strictam exiget a rege, sicut a populo et plebe.”

Summus imperator Christus disponit hic, quod reges pre ceteris portent honestum habitum et nobiliorem in signum dignitatis et preeminencie, et dicit, quibus diebus et solempnitatibus debeant portare coronam regalem. Capitulum III.

1 Filius Dei loquitur: "Quia homo contempsit obedire Deo, ideo necesse est, ut obediat homini simili sibi. Et quia rex a Deo constituitur ad iudicandum et regendum iuste, ideo dignum est, ut honoretur et timeatur a subditis. **2** Ergo, ut rex discernatur ab aliis, necesse est ut habitum discretum et honestum et honorabilem habeat pre aliis. Quia sicut honor regis est iusticia et iudicium, sic honor plebis est pulchritudo regis et honestas eius. **3** Propterea permittitur regi habitus honorabilis et honestus, quem cum portauerit non superbiat ex permissione sed humiliet se considerando onus officii sui.

4 Hiis autem diebus debet rex portare coronam in capite, scilicet in die natiuitatis mee, apparicionis, pasche, resurreccionis, pentecostes, ascensionis, **5** assumptionis Matris mee virginis, exaltacionis crucis, omnium sanctorum et omnibus illis diebus, quibus iudicia generalia tenet et diebus illis, quibus facere debet milites. **6** Nam sicut in diebus festis humanitatis mee et glorificacionis sanctorum meorum totus exultat celestis exercitus propter beneficia mea, sic de iusticia regis, que notatur in corona, gaudere debent iusti in terris. Et de retribucione regis iusti exultat tota curia celestis."

Summus imperator Christus dat hic decem consilia salubria regibus, quibus debeant regere se et regna.

Capitulum III.

1 Filius Dei loquitur ad sponsam dicens: "Dixi regi prius quosdam gradus, per quos ascendere potest ad celestia. Quos si tenuerit et seruauerit, tanta facilitate ascendet ad celum sicut ille, qui vitam tenet contemplatiuam. **2** Nunc autem consulere regi volo decem consilia. Primum est, quod in mensa sua non sit solus sed cum aliquibus subditis suis sedeat, qui ex eius presencia consolabuntur corporaliter et spiritualiter, quia ex hoc a peccatis et inhonestatibus abstrahuntur. **3** Secundum consilium est, quod post mensam stare poterit et honeste modicum solaciari, quia ex humili collocacione et collacione domestica subditorum acquirit gratiam et amorem. Et tunc audiet multorum rationes et opiniones aut imitandas aut reprobandas. **4** Tercium consilium est, quod in omnibus iudiciis et operibus suis sit misericors et iustus, ut nec propter amiciciam vel falsam compassionem nec propter priuatum bonum suum aut propter temporalem utilitatem seu timorem dimittat exercere iusticiam. **5** Nec propter iram seu impacienciam negligat aut obliuiscatur misericordiam, quia indecens est regi vinci ab ira et iudicem iudicare subito aut precibus a via iusticie deuiare.

6 Quartum consilium est, quod rex non committat regimina et iudicia sua facienda illis, quos sciuerit esse parciales et cupidos, aut illis, qui fraudulententer sciuit extorquere pecunias, quia tales faciliter deuiant a iusticia. **7** Sed inquirat rex illos, qui a natura bene ordinati progenitorum suorum imitantur bona vestigia et qui magis iusticie opera diligunt quam ditari. **8** Quintum est, quod continue inquirat rex, qualiter obseruatur lex et iusticia in regno suo. Et illos, quos delinquentes corrigere poterit, non dimittat impunitos. **9** Et caueat, quod non nimis emungat pecunias et emendas a delinquentibus nec aliqua calliditate opprimat innocentes. Sed cum humilibus agat micus et seuerius puniat induratos, seruata in omnibus iusticia et misericordia. **10** Et ubi humilitatem maiorem viderit, misericordiam superexaltet equitati. **11** Sextum est, quod continue rex discuciat iudicia et opera sua. Et si ex facili et subito mentis impulsu errasse se viderit, non erubescat

corrige vel retractare que male acta sunt. **12** Non enim ipse sapiencior est Dauid, qui eciam errauit, nec sancior propheta, qui credens mendacio occisus est a leone.

13 Septimum est, quod non sit nimis subitus in agendis sed prouidus et circumspectus, considerando finem negociorum. **14** Innitatur eciam consiliis sapientum et expertorum et timencium Deum, quibus et obediat, et seipsum non abscondat ab eis, quia degeneris et suspiciosi est animi consiliarios probatos habere suspectos et consilia mature et sobrie tractata cum adulantibus et assentantibus retractare. **15** Octauum consilium est, quod caueat leuitatem verborum et morum in omnibus, eciam apud familiares et domesticos suos, fugiatque adultores et assentatores quasi scorpionem, quia eum fouent in peccatis et scandalizant bonos. **16** Nam talem conuenit esse regem, quod timeatur a iuuenibus, honoretur a senibus, laudetur a sapientibus, diligatur a iustis et ab oppressis cordialiter desideretur. **17** Nonum est, quod rex non communicet hiis, qui ab Ecclesia excommunicati sunt, nec foueat illos, qui Deum et mandata eius derident, sed informet eos verbis et ammonicionibus caritatiuis. Et nisi resipuerint, ostendat eis seueritatem suam et subtrahat eis beneficia sua. **18** Nam honor regis est diuina super omnia diligere et Dei honorem suis viribus augmentare. **19** Decimum consilium est, quod populum et communitatem regni sui diligit, milites suos clementer pertractet et beneficia parentum in filiis recordetur.”

Imperator Christus consulit regibus, quod aliquando legant exempla sanctorum, quibus corda excitantur ad Deum, et dat uni regi duos consiliarios spirituales optimos, ut eis obediat et ut alii reges ad similia prouocentur. Capitulum V.

1 Filius Dei loquitur ad sponsam: ”Scriptum est de quodam rege, quod dormire non valens fecit sibi afferri annalia seu cronicas. **2** Sic rex iste, pro quo tu oras, quia puerilis est, faciat sibi legi sanctorum opera et exempla et gesta forcium, in quibus excitabitur animus suus ad Deum et addiscet, quomodo interdum inter curas regni honestis solaciis se possit occupare. **3** Insuper constituo ei duos amicos meos, qui sint ei quasi due matres. De uno eorum habebit ipse lac et panem, de alio vero vinum et medicinam. **4** Et primus indicabit ei, quomodo et in quibus peccat, quomodo satisficiat de erratis, quomodo consolari possit in tribulacione, quomodo mitigare se possit iratum. **5** Et de secundo habebit sapienciam in dubiis et solucionem misteriorum et prudenciam regendi et defendendi regnum suum. Igitur si istis obedierit, proficiet ad Deum et ad homines. **6** Nec tamen sic istis duobus obediat, quod alii consiliarii contempnantur, sed cum istis audiat plurimorum consilia et eligat cum deliberacione meliora.”

Imperator Christus docet reges diligere populos subditos tenendo certos modos regiminis, precipiens eis, quod amoueant consuetudines iniustas et prauas. Capitulum VI.

1 Filius Dei loquitur ad sponsam: ”Dixi prius, quod rex diligeret populum et communitatem regni sui. Tunc autem diligit eam, si eam permittit uti legibus approbatis, **2** si super communitatem et populum crudeles non dominantur exactores et collectores, si nouis adinuencionibus et imposicionibus tributorum non oneratur populus, si hospitalitate onerosa et insolita non aggrauatur. **3** Poterit tamen rex ad impugnationem infidelium humiliter petere auxilium a populo et communitate regni, si necessitatur, sed caueat, quod necessitas non veniat in consuetudinem et legem. **4** Studeat eciam rex amouere consuetudines contrarias

saluti animarum et maxime illam diutine antiquatam, que continet, quod quando naues in littore potestatis sue periclitantur tempestate, domini nauium et mercimoniorum priuantur bonis que littori aduehuntur. **5** O, quam impiissima crudelitas est afflicto afflictionem addere! Sufficit enim afflicto ad cumulum doloris sui perdere nauem, ut bona alia non distrahantur. **6** Ergo rex istam consuetudinem et alias prauas et iniustas auellat a regno suo, et inueniet maiorem gratiam et profectum in oculis meis.”

Christus imperator dicit regibus, quod si eum volunt honorare, seruent precepta et verba eius et augeant eius honorem amando animas subditorum, quas ipse redemit suo proprio sanguine. Capitulum VII.

1 Filius Dei loquitur ad sponsam de quodam rege Swecie dicens: ”Si iste rex velit me honorare, minuat primo dedecus meum et augeat honorem meum. Dedecus quippe meum est, quod precepta mea, que precepi, et verba, que personaliter locutus fui, contempnuntur et quasi a pluribus pro nichilo reputantur. **2** Si igitur ipse velit me diligere, habeat de cetero maiorem caritatem ad animas omnium, pro quibus ego aperui celum cum sanguine cordis mei. **3** Si autem plus desiderat requiem, que est cum Deo, quam dilatare patrimonium suum, habebit profecto maiorem delectacionem et auxilium a Deo reuincere locum illum Ierusalem, in quo iacuit corpus meum mortuum.

4 Dic ei insuper tu, que hec audis: Ego Deus permisi eum coronari. Ideo ad ipsum pertinet plus sequi voluntatem meam et me super omnia honorare et diligere. **5** Quod si non fecerit, breuiabuntur dies eius. Hii quoque, qui carnaliter eum diligunt, separabuntur ab eo cum tribulacione et regnum eius in plures partes diuidetur.”

Omnium imperator Christus ad ostendendum regibus, quod regine debent eligi deuote et virtuose, ostendit hoc exemplo suo; qui eligit inter omnes feminas virtuosiore omnium in Matrem et reginam celorum.

Capitulum VIII.

1 Filius Dei loquitur sue Matri virgini: ”Ego sum coronatus rex in deitate mea sine principio et sine fine. Nec initium habet corona mea nec finem, significans potestatem meam, que non habuit principium nec habebit finem. **2** Verum ego aliam coronam habui custoditam in me, que quidem corona sum ego ipse Deus. **3** Hec autem corona preparata fuit illi regine, que super omnes maiorem caritatem haberet ad me, et hanc coronam, dulcissima Mater mea, vicisti et traxisti ad te cum iusticia et caritate. **4** Nam de hoc testimonium perhibent angeli et alii sancti, quod in te ardencior fuit caritas ad me, et caritas tua purior omnibus, que placuit michi super omnes.

5 Caput quippe tuum fuit quasi aurum fulgens et capilli tui quasi radii solis, quia tua mundissima virginitas, que est in te, et continencia omnium illicitorum motuum placuerunt et fulserunt in conspectu meo cum omni humilitate. **6** Et ideo merito vocaris coronata regina super omnia, que creata sunt, ’regina’ propter mundiciam, ’coronata’ propter excellentem dignitatem. **7** Frons tua fuit incomparabilis albedinis, significans verecundiam consciencie tue, in qua plenitudo est humane sciencie, et dulcedo diuine sapiencie lucet in ea super omnes. **8** Oculi tui erant in conspectu Patris mei sic lucidi, quod se speculabatur in eis, quia in spirituali visu tuo et intellectu anime tue videbat Pater omnem voluntatem tuam, quod scilicet nichil

volebas nisi ipsum et nichil desiderabas nisi secundum ipsum. **9** Aures tue erant mundissime et aperte tamquam fenestre pulcherrime, quando protulit tibi Gabriel angelus velle meum et quando ego Deus factus sum in te caro. **10** Gene tue erant de optimo colore, scilicet albo et rubicundo, quia fama operum tuorum laudabilium et pulchritudo morum tuorum placuerunt michi, quibus cotidie inflammabar. **11** Vere ex pulchritudine morum tuorum gaudebat Deus pater meus et numquam auertit oculos suos a te, et ex caritate tua omnes obtinuerunt caritatem. **12** Os tuum erat quasi lampas, intus ardens et lucens ab extra, quia verba et affectiones anime tue erant ardentes interius diuina intelligencia et exterius splendentes ex dispositione laudabili tuorum motuum corporalium et concordancia pulcherrima tuarum virtutum. **13** Vere, Mater carissima, verbum oris tui traxit quodammodo deitatem meam in te, et feruor diuine dileccionis tue numquam separauit me a te, quia verba tua dulcia sunt super mel et fauum.

14 Collum tuum est nobiliter erectum et pulcherrime eleuatum, quia iusticia anime tue plene est erecta ad me et secundum velle meum mobilis, quia numquam inclinata fuit ad aliquod malum superbie. **15** Sicut enim collum curuatur cum capite, sic tota intencio et operacio tua flectitur ad voluntatem meam. **16** Pectus quoque tuum plenum erat omnium virtutum suauitate in tantum, quod non est aliquod bonum in me, quod non sit in te, quia traxisti omne bonum in te ex morum tuorum dulcedine, quando deitati mee placuit intrare ad te et humanitati mee habitare tecum et bibere lac mammillarum tuarum. **17** Brachia tua pulchra erant nimis per veram obedienciam et toleranciam laborum. Ideo corporales manus tue tractauerunt humanitatem meam et quietus fui inter brachia tua cum deitate mea. **18** Venter tuus mundissimus sicut ebur et sicut locus preciosus choruscans ex virtuosis lapidibus splendidissimis, quia constancia consciencie tue et fidei numquam tepuit sed nec in tribulacione potuit viciari. **19** Huius itaque ventris, id est fidei tue, parietes fuerunt quasi aurum fulgentissimum, in quibus notatur fortitudo virtutum tuarum et prudencia tua et iusticia et temperancia cum perfecta perseuerancia, quia ipse omnes virtutes tue perfecte fuerunt diuina caritate. **20** Pedes tui mundissimi et loti erant et quasi pleni herbis odoriferis, quia spes et affectus anime tue erant recta ad me, Deum tuum, et odorifera ad aliorum exemplum et imitacionem.

21 Locus igitur ventris tui, tam spiritualis quam corporalis, tantum michi erat desiderabilis et tantum anima tua michi placita, quod a summo celo descendere ad te et in te morari non abhorruim, ymmo suauissime delectatus sum. **22** Ideo, Mater carissima, corona illa reginalis preciosa, que custodiebatur in me, que quidem corona sum ego Deus, qui debebam incarnari, nulli femine debuit imponi nisi soli tibi, quia es vera Mater et virgo et imperatrix omnium reginarum.”

Imperator Christus loquens sponse de quadam regina nouiter sponsata regi dicit, quod ex illo coniugio orietur non salus regno sed tribulacio, quia ipsa de dampnato semine ab Ecclesia nata est et infra etatem legitimam desponsata. Capitulum IX.

1 Filius Dei loquitur sponse de quadam regina, quam rex acceperat in coniugem de semine dampnato ab Ecclesia et infra etatem legitimam, dicens: **2** ”Attende, filia, et scias, quod in omni coniugio Christiano tenetur esse etas et consensus legitimus, sed in istis nichil horum est. Et ideo istud matrimonium simile est puppis et ludo puerili ex eo, quod gloria temporalis ab istis queritur et non lex Christiana et honor Dei. **3** Et ideo ex isto coniugio orietur tribulacio et non salus regno. **4** Et licet ista nouella regina, filia parentum dampnatorum ab Ecclesia, non portabit iniquitatem patris, numquam tamen de semine istius, prouocantis

me ad iram, veniet populo salus et fructus. **5** Et ideo Ysaac monuit filium suum recipere uxorem de generatione sua, ne ipse contaminaretur a populo, cui iratus erat Deus.”

Mater Dei monet quandam reginam mundanam moribus, quod conuertat se ad Deum, dando de se Deo folia, flores et fructum virtutum in loquendo et audiendo bona et amando Deum et proximum. Capitulum X.

1 Mater Dei loquitur sponse dicens: ”Dic regine, quod ego Mater misericordie recepi eam tamquam nucleum in pomo corrosum, qui non erat pulcher ad videndum sed amarus ad gustandum et insipidus ad gluciendum. **2** Verumptamen plantaui eam in terram longinquam, ut portaret fructum bonum. **3** Ergo sicut arbores proferunt de se folia, flores et fructus, sic ipsa debet portare folia virtutum, scilicet audiendo libenter verba Dei, que utilia sunt anime et similia foliis arborum. **4** Loquatur eciam illa que honoris sunt Dei et utilitatis proximorum, quia tunc portat pulchros flores. Diligat quoque Deum et proximum, et tunc habet optimum fructum. **5** Sed ipsa nunc loquitur libenter scurrilia et ea, quibus acquirere potest mundi honorem et fauorem. Et ideo conuertat se ad me, scilicet portando Filio meo auditu et locutione et opere caritatis fructum illum, qui ei dulcius sapit, hoc est animam suam, quam ipse precordialiter desiderat possidere.”

Christus reprobatur unum votum continencie coniugalis, quod quidam rex et regina coniuges vouerunt sine consilio et deliberacione matura, ne inde maius malum et detraccio oriatur. Capitulum XI.

1 Postquam quidam rex et regina habuerunt duos filios, vouerunt votum castitatis et continencie inter se. Super quo requisita sponsa, quod oraret Deum, Christus apparens dixit ei: **2** ”Scriptura dicit, quod homo non presumat separare quod Deus coniunxit. Quis enim audeat mutare illud, quod racionabiliter in lege Dei approbatum et sanctitum est? **3** Verumptamen ex iusta causa carnale bonum quandoque mutari potest in spirituale bonum, et tunc non est solucio coniugii sed translacio quedam, quando duo cum deliberacione matura et consilio consenciant in melius bonum ex caritate Dei.

4 Sed iste rex et regina consenserunt in unum apparens bonum sed non discretum, quod altera pars consensit voto continencie ex feruore nouicio et ex zelo indiscreto et leuitate animi, alia vero pars ex quadam placencia et impulsu subito et causa fugiendi doloris. **5** Ideo tucius est et laudabilius redire ad primam legem matrimonialis copule, ne forte, si indiscreta continuauerint et temptaciones creuerint et penitudo assumpti propositi accesserit, oriatur inde maius malum et occasio detrahendi. **6** Verumptamen in istis faciant isti duo secundum consilia sapientum, quia non est peccatum retractare sapienter quod indiscrete inchoatum et attemptatum est.”

Christus docet hic reges, cum quali discrecione debeant reprehendere uxores suas, et monet pulchre unam reginam deuotam, quod sit humilis et compassiua miseris, plena caritate, prudens et modesta. Capitulum

1 Filius Dei loquitur ad sponsam dicens: "Ubi arista est iuxta cor, non est subito et precipitanter auellenda, sed paulatim et leniter resecanda. **2** Sic mulier bona est et diligenda, sed tamen homini tendenti ad perfeccionem quandoque impedimentum est. **3** Et ideo homo qui ligatus est ad uxorem per matrimonium, ubi videt periculum suum, quandoque lenibus verbis utatur more monitoris, quandoque moderate seuerioribus more doctoris, quandoque more medici resecacionibus. **4** Quia mulier prudenter audienda est, ut consoletur, modeste et secrete arguenda, ne contempnatur, honeste erudienda et quandoque non audienda, ne iusticia dimittatur.

5 Propterea ad reginam pertinet humilitas animi, modestia operum, prudencia agendorum, compassio miserorum. **6** Nam prudencia mulieris mitigatus est Daud, ne faceret peccatum, humilitate peruenit Hester ad regnum et perseueravit, sed superbia et cupiditate deiecta est Iezabel. **7** Et Maria mater mea propter compassionem et caritatem facta est mater omnium in celis et in terris.

8 Ergo quia regina ista, pro qua tu oras, per te querit a me consilium, responde ei ex parte mea et dic ei, quod ipsa habet aliquas infusiones et suggestiones a duobus spiritibus, scilicet a bono et malo spiritu, quas ego indicabo tibi alia vice."

*Christus ostendit sponse cogitationes suggestionum boni et mali spiritus, que in corde regine
supraproximo dicte certabant inter se; et determinat Dominus, quid ipsa de illis debeat eligere. Capitulum*

XIII.

1 Deus loquitur sponse dicens: "A duobus spiritibus suggeruntur et infunduntur cogitationes et infusiones in cordibus hominum, a bono spiritu scilicet et malo. **2** Bonus nempe spiritus suadet homini futura celestia cogitare et temporalia non amare. Spiritus vero malus suadet homini diligere illa presenciam que homo videt, leuigat peccata, allegat infirmitates et proponit exempla infirmorum. **3** Ecce dico tibi exemplum, quomodo uterque spiritus inflammat suggestionibus cor illius regine, de qua iam alias tibi dixi. Spiritus quippe bonus dicit ei ista, suggerens ea cogitationibus suis: **4** 'Diuicie,' inquit, 'sunt onerose, honor mundi quasi ventus et delectabilia carnis quasi sompnum, leticia transitoria et omnia mundialia vanitas, iudicium quoque futurum ineuitabile et tortor nimis durus. **5** Et ideo videtur michi esse nimis durum obligari ad reddendum strictissimam rationem in iudicio pro diuiciis transitoriis, spirituale dedecus et vituperium reportare pro aere et vento, longam tribulacionem sustinere pro delectamento momentaneo, **6** ei quoque rationem reddere cui omnia nota sunt, antequam fiant. Propterea tucius est dimittere multa et obligari ad reddendum minorem rationem quam multis inuolui et teneri ad reddendum longam et onerosam rationem.'

7 Respondit econtra spiritus malus suis suggestionibus et malignis immissionibus: 'Dimitte,' inquit, 'tales cogitationes, quia Deus mitis est et faciliter placatur. Posside bona audacter et da que possides largiter, **8** quia ad hoc nata es, ut habeas diuicias, et ad hoc tibi diuicie date sunt, ut ex eis lauderis et tribuas te petenti. Si enim dimittis diuicias, tu seruias illis qui tibi seruierunt, minuetur ex hoc honor tuus et augebitur despectio, **9** quia persona pauper vadit sine consolacione, durumque est tibi nouis assuesci consuetudinibus et alienis moribus et extraneis domare carnem et sine seruatoribus et seruiicio viuere. **10** Ideo stabilis esto in homine accepto, tene statum tuum regaliter, dispone domum tuam laudabiliter, ne, si mutaueris statum tuum, arguaris inconstancie, sed potius mane in inceptis et eris apud Deum et homines gloriosa.'

11 Iterum spiritus bonus suadet menti illius regine sic dicens: 'Scio duo esse eterna, celum scilicet et infernum. Omnis enim homo, qui Deum ex caritate diligit super omnia, non intrabit in infernum. **12** Qui vero non diligit Deum non habebit celum. Per viam igitur ad celum incessit ipse Deus factus homo, confirmans eam signis et morte sua. O, quam gloriosa sunt celestia, quam amara est dyabolica malicia et quam vana sunt terrena! **13** Ipsum enim Deum imitati sunt Mater eius et omnes sancti, qui omnem penam sustinere omniaque amittere magis voluerunt, ymmo etiam seipsos contempserunt, ne perderent celestia et eterna. **14** Et ideo tucius est dimittere honorem et diuicias tempestiue quam tenere eas usque ad finem, ne forte crescente dolore in extremis decrescat tunc memoria delictorum, et tunc illi capient omnes diuicias, quas congregauit, qui de salute anime mee nichil curant.'

15 Respondit ei econtra mala infusio dyaboli: 'Dimitte,' inquit, 'ista cogitare. Nam nos sumus homines infirmi, Christus vero est Deus et homo. Non debemus equiparare opera nostra ad opera sanctorum, quibus et maior gracia et familiaritas erat cum Deo. **16** Sufficiat enim nobis sperare celum et iuxta infirmitatem nostram viuere et peccata nostra elemosinis et oracionibus redimere. Puerile namque est et insipientium hominum insolita assumere et ea non posse consumare.'

17 Iterum respondit bona infusio: 'Indigna sum,' inquit, 'assimilari sanctis, sed tamen valde tutum est conari ad perfeccionem paulatim. Quid enim obest aggredi insolita? Nam potens est Deus dare adiutorium. **18** Sepe autem contingit, quod viam domini potentis et diuitis sequitur pauper homo. Et licet dominus ille potens cicius peruenit ad hospicium delicatisque cibus fruitur et in molli quiescit lecto, **19** pauper tamen nichilominus ad idem hospicium peruenit, licet tardius, et ibidem tamen reliquiis ciborum domini participatur; qui, nisi viam domini secutus fuisset hospiciumque domini requisisset, cibus domini usus non fuisset.

20 Sic et ego dico nunc, quod quamuis indigna sum similari sanctis, tamen volo aggredi viam post eos, ut saltim possim participari meritis eorum. **21** Nam duo sunt que sollicitant me in animo: primo quod si mansero in patria, superbia dominatur michi, amor parentum, qui iuuari petunt, deprimit mentem meam, superfluitas familie et vestium est michi onerosa. **22** Ideo delectat me et consulcius est descendere de sede superbie et peregrinando humiliare corpus meum quam permanere in statu honoris et peccata peccatis accumulare. **23** Secundo sollicitat me paupertas populi et eorum clamor, quem, ubi iuuare deberem, cotidie presencia mea grauo. Ideo necesse est michi habere consilium bonum.'

24 Respondit mala infusio et suggestio dyabolica: 'Peregrinari,' inquit, 'non est nisi inconstantis animi, cum misericordia accepcior est Deo omni sacrificio. **25** Si enim recedis de patria, cupidi homines audita fama tua spoliabunt et capient te; et tunc pro libertate sencies captiuitatem, pro diuiciis paupertatem, pro honore dedecus et pro quiete tribulacionem.' **26** Respondit iterum spiritus bonus: 'Audiui,' inquit, 'quendam captiuum positum in turrim, qui maiorem consolacionem habebat in captiuitate et tenebris quam umquam prius habuerat in habundancia et consolacione temporali. **27** Et ideo, si placet Deo me tribulari, erit michi in maius meritum. Ipse enim pius est ad consolandum et promptus ad subueniendum, maxime si ego non egredior de patria nisi pro purgandis peccatis meis et ad promerendam diuinam caritatem.'

28 Respondit iterum mala infusio et dyabolica suggestio: 'Quid,' inquit, 'si tu indigna fueris consolacione diuina et fueris impaciens ad paupertatem et humilitatem? **29** Tunc enim penitebit te assumpsisse rigorem, tunc habebis baculum in manibus pro anulo, panniculum in capite pro corona et vilem saccum pro purpureo indumento.' **30** Respondit iterum bonus spiritus: 'Audiui,' inquit, 'quod sancta Elizabeth, filia regis Ungarie, delicate enutrita et nobiliter nupta magnam sustinuit paupertatem et deieccionem. **31** Que

maiolem consolacionem obtinuit a Deo in paupertate et sublimiorem coronam, quam si mansisset in omni honore mundi et eius consolacione.’

32 Iterum respondit mala inspiracio: ‘Quid,’ inquit, ‘facies, si tradiderit te Deus in manus hominum fuerisque violata in corpore? **33** Numquid pre pudore subsistere poteris, numquid non inconsolabiliter dolebis de pertinacia tua, et tota generacio tua scandalizata lugebit? **34** Tunc certe consurget tibi impaciencia, tunc anxietas in corde et ingratitude ad Deum. Tunc optabis mortem; et cum in ore omnium fueris diffamata, numquid audebis apparere?’ **35** Item respondit bona cogitacio: ‘Audiui,’ inquit, ‘ex scriptura, quod virgo beata Lucia, ducta ad lupanar, constans in fide et confidens de bonitate Dei dixit: ”Quantumcumque vexatur corpus meum, nichilominus virgo sum et duplicabitur michi corona.” **36** Cuius fidem respiciens Deus seruauit eam illesam. Sic ego dico. Deus enim, qui neminem permittit temptari supra vires, custodiat animum meum, fidem et voluntatem meam. Ego namque totam ei me committo; fiat eius voluntas de me.’

37 Ergo, quia regina illa hiis pulsatur cogitacionibus, ideo admoneo eam de tribus. Primo, quod reducat ad memoriam, ad qualem honorem est electa; secundo, qualem caritatem Deus in coniugio suo ei ostenderat; tercio, quam benigne in hac mortalitate seruata est. **38** Et iterum incauto eam de tribus. Primo, quod rationem redditura est Deo de omnibus bonis suis temporalibus et adhuc eciam de quolibet obulo, scilicet quomodo habuit et quomodo expendit; **39** secundo, quod tempus suum valde est breue, et nesciet, antequam cadat; tercio, quod Deus non parcit in iudicio plus domine quam ancille.

40 Ideo consulo ei tria. Primo penitere de commissis et quod emendet fructuose confessa et studeat Deum diligere toto corde. Secundo consulo fugere racionabiliter penam purgatorii. **41** Sicut enim qui non diligit Deum toto corde dignus est supplicio, sic qui non emendat peccata sua, cum potest, dignus est purgatorio. **42** Tercio consulo ei dimittere amicos carnales ad tempus propter Deum et venire ad Romam, ubi compendium est inter celum et mortem ad fugiendam penam purgatorii, **43** quia ibi sunt indulgencie, que sunt eleuaciones et redempciones animarum, quas sancti pontifices concesserunt et sancti Dei suo sanguine promeruerunt.”

Christus dicit sponse de regina supra proximo dicta, quod illa reputat graue dictum consilium Dei. Ideo

annunciat ei, quod, nisi obedierit cito, vita eius erit breuis, racio reddenda in iudicio grauis et finis

dolorosus. Capitulum XIII.

1 Christus loquebatur ad sponsam de regina supra proximo dicta dicens: ”Regina illa, de qua prius dixeram tibi, consilium quesiuisti a me per te, et audito consilio, quod dedi ei, videtur sibi grauissimum. **2** Et ideo modo dic ei, quod erat quedam regina tempore Helye prophete, que dilexit quietem suam plus quam me et persequebatur verba veritatis et credebat stare per prudenciam suam. **3** Ideo contigit, quod non solum contempta et despecta fuit ab omnibus, sicut prius honorata, sed eciam in morte sua tribulata fuit. **4** Et propterea ego Deus, qui clarius video et scio futura, dico nunc isti regine, quod tempus suum breue est. Computus, quem redditura est in die iudicii, grauis est. Et finis suus non sicut principium erit, nisi obedierit verbis meis.”

Beata Agnes exponit sponse spiritualiter unum currum materialem pomposum, in quo quedam regina superba sedebat, dicens, quod ille est currus superbie cum rotis viciorum, cuius auriga est dyabolus. Et describit alium currum spiritualem cum rotis virtutum, cuius auriga est angelus. Capitulum XV.

1 Beata Agnes apparuit sponse Christi et loquebatur ei de quadam regina superba et pomposa, dicens: "Vidisti, filia, dominam Superbiam in curru superbie hodie?" Cui respondit sponsa: "Vidi," inquit, "et tabescebam, quia caro et sanguis, puluis et stercus se ibi laudari querit, ubi merito deberet se humiliare. **2** Quid enim est talis ostentatio nisi prodiga donorum Dei consumptio, vulgi admiratio, iustorum tribulatio, pauperum desolatio, Dei prouocatio, suiipsius obliuio, iudicii futuri grauior diiudicatio et dispendium animarum?"

3 Respondit tunc beata Agnes: "Gaude, filia, quia a talibus vanitatibus erepta es. Propterea volo tibi describere quendam currum, in quo secure te poteris reclinare. Currus itaque in quo sedere debes est fortitudo et paciencia in tribulacionibus. **4** Cum enim homo carnem refrenare cepit et totam voluntatem suam Deo comittere, tunc aut sollicitat mentem superbia, que hominem eleuat a se et supra se, quasi quod similis sit Deo et hominibus iustis, **5** aut certe frangit impaciencia et indiscrecio, ut vel redeat ad solita vel deficiat in viribus, ut ineptus sit in labore Dei. **6** Propterea est opus paciencia discreta, ut nec impaciens retrocedat nec indiscrete perseueret, sed et viribus et temporibus se conformet.

7 Prima vero rota istius currus est voluntas perfecta relinquendi omnia propter Deum, nil desiderare nisi Deum. **8** Nam sunt multi, qui temporalia relinquunt eo fine, ut aduersitatibus careant et tamen nichil eis desit ad utilitatem et voluptatem. **9** Quorum rota non est bene ductilis et versatilis, quia cum pungit eos paupertas, desiderant sufficienciam; cum grauat aduersitas, requirunt prospera; **10** cum temptat eos deieccio, murmurant de dispositione diuina et affectant honores; cum precipiuntur contraria, querunt proprias libertates. **11** Ergo illa voluntas est Deo placita, que nichil de suo habere desiderat nec in prosperitate nec in aduersitate.

12 Secunda rota est humilitas, qua homo reputat se ad omnia bona indignum, ponens ante oculos suos omni hora peccata sua, reum se existimando in conspectu Dei. **13** Tercia rota est diligere Deum sapienter. Ille plane sapienter diligit, qui seipsum circumspiciendo odit vicia sua, qui contristatur de peccatis proximorum et parentum suorum, **14** letatur vero de spirituali eorum profectu ad Deum, qui amicum suum non optat viuere ad utile et ad commodum suum proprium, sed ut Deo seruiat, et timet ei plus de mundano processu, ne forte offendant Deum. **15** Talis ergo est sapiens dileccio odiendo vicia, non fouendo propter fauorem vel honorem eosque plus diligendo, quos in amore Dei viderit feruenciores.

16 Quarta rota est refrenacio carnis discreta. Quicumque enim est in coniugio et cogitat sic: 'Ecce,' inquit, 'trahit me caro inordinate. Si vixero secundum carnem, scio pro certissimo, quod irascitur conditor carnis, qui plagare potest eam et infirmare, qui occidet et iudicabit. **17** Ideo ob amorem et timorem Dei refrenare volo beniuole carnem meam et viuere modo debito et ordinato ad honorem Dei.' Quicumque igitur taliter cogitat petens adiutorium Dei, eius rota accepta erit Deo. **18** Si vero religiosus est et cogitat sic: 'Ecce trahit me caro ad deliciosa, offert se eciam locus et tempus et bona et etas ad delectandum, attamen adiutorio Dei nolo peccare propter professionem sanctam et momentaneum delectacionis. **19** Magnum quippe bonum est, quod voui Deo: pauper in mundum ingressus sum, pauperior egrediar, iudicium de cunctis sum subiturus. **20** Ideo, ne offendam Deum meum, ne scandalizem proximum meum, ne meipsum faciam periurum, abstinere volo.' Talis enim abstinentia digna est mercede magna.

21 Si vero aliquis est in honore et deliciis et cogitat sic: 'Ecce ego habundo in omnibus, et pauper deficit, et tamen unus Deus est omnium. Quid promerui ego et quid demeruit ille? Quid vero est caro nisi cibus vermium? **22** Quid vero sunt tot deliciae nisi fastidium et nausea et occasio infirmitatis, perditio temporis et inductium peccati? Ideo refrenabo carnem meam, ne in ea vermes lasciuiant, ne grauius iudicium subeam, ne tempus penitencie inaniter expendam, **23** et si forte mea caro male et lasciue educata non poterit faciliter flecti ad grossiora ut pauper, subtraham ei tamen paulatiue aliqua delicaciora, sine quibus bene potest subsistere, ut necessitatem habeat et non superfluitatem.' **24** Quicumque ergo sic talia cogitat et faciendo opere conatur, quantum potest, hic et confessor et martyr vocari potest. Quia martirii genus est delicias habere et deliciis non uti, in honore esse et honorem contempnere, magnum esse apud homines et minima sentire de seipso. Itaque talis rota multum placet Deo.

25 Ecce, filia, currum figuraui tibi, cuius auriga angelus tuus est, si tamen frenum eius et iugum a collo tuo non excusseris, id est si inspiraciones eius salubres non dimiseris, sensus tuos et cor tuum ad vana et scurrilia relaxando. **26** Nunc eciam currum, in quo regina illa sedebat, exponere tibi volo. Currus plane impaciencia eius est, scilicet contra Deum et contra proximum et contra seipsam: **27** contra Deum scilicet iudicando occulta iudicia eius, quia ipsa non prosperatur ad votum; malignando contra proximum, quia non consequitur bona eius; impaciens quoque in seipsam est, scilicet occulta cordis sui impacienter ostendendo.

28 Huius enim currus rota prima superbia est preferendo se aliis et alios iudicando, contempnendo humiles et ambiendo honores. **29** Secunda rota est inobediencia preceptorum Dei, que inducit in cor eius excusacionem infirmitatis sue, leuigacionem culpe sue, presumpcionem cordis et malicie defensionem. **30** Tercia rota est cupiditas mundialium, que inducit ei prodigalitem in expendendo que habet, negligenciam et obliuionem sui et futurorum, anxietatem cordis et tepiditatem ad amorem Dei. **31** Quarta rota est suiipsius amor, per quem excludit a se Dei sui reuerenciam et timorem, finem eciam suum et iudicium non attendit.

32 Huius itaque currus auriga est dyabolus, qui eam ad omnia que ipse miserit in cor eius facit hylarem et audacem. Duo vero equi, qui trahunt currum istius regine, spes est longe vite et voluntas peccandi usque in finem. **33** Frenum vero est pudor confessionis. Qui quidem pudor sic per spem longe vite et voluntatem perseuerandi in peccato trahit animum a recto tramite et in peccato sic onerat, **34** quod nec terrore nec pudore nec ammonicione surgere potest; sed cum stare firmiter se credit, nisi iuuante gracia Dei descendet in profundum."

Christus prohibet cuidam regi, ne recipiat quendam adulatorem et sagacem in consiliarium, quia cupidus et dolosus est; et comminatur regi, si contrarium faciat. Capitulum XVI.

1 Filius Dei loquitur ad sponsam de quodam sagace homine adlatore, quem rex quidam volebat exaltare et in consilium recipere, dicens: **2** "Ille homo quem tu cognoscis, quem nunc rex in consiliarium recipere vult, lupo est. Et quid aliud facturus est, nisi ut rapiat et gluciat et fallat? **3** Ideo dico, quod si amicitiam meam querit inuenire rex, caueat et recedat ab amicitia et conuersacione illius. Non tribuat ei unum minimum passum terre, quam ille querit ab eo, non iuuet eum hominibus vel muneribus suis. **4** Quia ille vellera habet ouina, sitim inextinguibilem et fraudis venenum in corde. **5** Si vero rex audierit consilia eius et vult amicitiam eius et dissoluerit se cum eo, confidendo plenarie de eo, reprobabitur a me et erit prouerbium et

ridiculum multorum dicencium: **6** 'Ecce rex similior est asino coronato quam principi!' Et eciam timendum est ei, ne cum dolore amittat regnum."

Addicio

7 Filius loquitur: "Domina illa prius michi cara nunc conuersa retrorsum querit de semine lupi fructum coniugii de fructu suo contra voluntatem meam et verba mea. **8** Ideo scito pro certissimo, quod de fructu eius non gaudebit nec radices altas dabit semen eius nec incole gaudebunt de herede. Quia rex iusticiam non habuit ad regnum, quia minor supplantauit maiorem."

Christus prohibet cuidam regi, ne recipiat amicitiam cuiusdam magni domini alienigene introducendo eum in regno suo, quem comparat vulpi, quia dolosus et superbus est et depredator simplicium. Capitulum

XVII.

1 Christus loquitur sponse dicens: "Rex querit auxilium et amicitiam vulpis. Sed que est consuetudo vulpis nisi simulare se mortuam, ut rapiat simplices aues? **2** Si intrauerit cubile anserum, non contentatur comedere unum, nisi et interficiat omnes. **3** Sic iste, si obtinuerit partem terre, non quiescet, donec habeat maiora, et tunc seminabit discordiam, quia indigene cum extraneis non concordabunt. **4** Et ideo fugiatur conuersacio eius sicut sibilus serpentis venenosi, quia si profecerit, rediget terram in ruinam et anseres simplices deplumabit. **5** Consiliarii vero regni et rex laborent, ut pecunia, que ratione dotis debetur sibi, soluatur ei, quia secundum commune prouerbum melius est esse ante cautum quam post pericula prudentem."

Addicio

6 Filius Dei loquitur: "Iam de semine vulpis et vipere eleuauerunt sibi caput, quod deplumare nouit, non sanare. **7** Quod erit eis non in magnum gaudium nec in iusticie augmentum, quia generacio illa michi displicet et leta principia eius obfuscabit finis dolorosus."

Christus dat cuidam regi duos consiliarios optimos habentes diuinam caritatem et zelum iusticie, ostendens per hoc regibus, quod tales consiliarios recipiant et non negligentes et mundum amantes; et declarat, quare amicos suos Deus exponit tribulacionibus. Capitulum XVIII.

1 Filius Dei loquitur sponse oranti pro quodam rege dicens: "Si rex iste laborare voluerit pro conuertendis animabus, duos consiliarios ei constituo, qui regnum regent. **2** Primus diligit me plus quam se et sua, paratus est eciam mori pro me. Secundus iam assumpsit cornua agni, paratus obedire michi et non carni sed spiritui obedire. Sed querere poteris, cur amicos meos expono tribulacionibus.

3 Respondeo tibi per exemplum: quasi si aliquis dominus esset, qui haberet aliquam siluam vel heremum vallatam muro. Intra murum vero essent animalia indomita, extra vero murum oues, et murus haberet aperturas multas et iuxta quamlibet aperturam duo spacia et iuxta quodlibet spacium essent tria foramina

occulta. **4** Dominus itaque ille sollicitus de ouibus ait seruis suis: 'O, serui mei, vos scitis, quod oues mee simplices sunt et bestie ille fere rapaces. **5** Ideo state et custodite foramina et aperturas, ne bestie feroces exeuntes de ambitu noceant ouibus. **6** Non sit vobis tedium in laborando, non accidia in vigilando. Vox vestra sit quasi tuba, baculus sit continue in manibus, quo bestie rapaces appropinquantes ouibus deterreantur.'

7 Serui igitur accepto mandato domini libenter obedierunt. **8** Tandem dominus vocato venatore suo ait ad eum: 'Egredere in siluam meam cum canibus et fac animalia audire sonum tube et deterre ea clamore tuo!' **9** Serui igitur audientes sonum tube dixerunt: 'Ecce hec est vox venatoris domini nostri. Surgamus ergo festinanter! **10** Non simus iam timidi nec negligentes! Manus nostra iam sit promptior in percuciendo, vox alcior in clamando, oculus vigilancior in speculando! Et ubi prius statuimus alios pro defensione ouium, ibi modo ponamus nos ipsos.'

11 Igitur ego ipse Deus similis sum isti domino. Heremus seu silua illa mundus est, habundans animalibus ferocissimis et indomitis, id est viris sine lege, sine caritate, sine sensu Dei ad omnia mala preparatis. **12** Hunc mundum murus nimie presumpcionis et obstinacionis circumdat, quia homines paciencia Dei abutuntur et proficientes in malis obdurantur. **13** Extra vero hunc murum sunt amici mei, quia caritate mea succensi imitantur vestigia mea et querunt pascua mea. **14** Intra vero murum sunt illi quorum cupiditas non habet modum, qui creaturam preferunt creatori, corpus diligunt et non animam, ad presenciam aspirant et non ad futura bona. **15** Apertures vero huius muri sunt fraus et simonia et malicia, que nec Patri parcunt nec Filio. Sed ista dominantur iam apud multos; et reputatur summa felicitas obtinere temporalia et non curare de eterna gloria. **16** Duo vero spacia iuxta aperturas due sunt abusiones in mundo seu duo mala. Prima est spiritualis, secunda vero corporalis. Prima est dare aliis exemplum peccandi verbo aut operatione, secunda, scilicet corporalis, duplex est. **17** Prima est dissimulare peccatum, quod corrigendum est, propter munera, propter fauorem et honorem seu propter mundanum timorem, secunda est nolle punire peccatum manifestum propter suam utilitatem vel propter mundiale bonum. **18** Tria vero foramina occulta sunt tres affectus malignancium: aut enim appetunt nocere vite proximorum aut derogare honori aut dampna inferre in bonis suis et amicis. **19** Venator vero significat iusticiam Dei manifestandam, cuius vox erit talis: Da duris dura et da mollibus mollia. Canes autem sequentes sunt viri iniquitatis, quibus Deus, quamuis sunt mali, utitur ad bonum, non sibi ipsis sed purgandis. **20** Hii utique sunt quasi canes insaciabiles, qui consuescunt odire oues, impingere eas superbia, diripere eas vellere et pedibus conculcare.

21 Et ideo, quia regimen istius regis est de heremo et silua ista, habens bestias feroces et indomitas plures quam oues, propterea constituo amicos meos custodes ouium mearum, qui parati sint misericordiam dare humilibus, induratis vero iusticiam et omnibus facere equitatem. **22** Ceterum amici isti caueant sibi a custodibus illis, qui stantes iuxta foramina et lanceas tenentes in manibus suspendunt eas transeuntibus bestiis et hostibus, quibus euasis percuciant terram cum clamore valido, ut videantur fortiter egisse. **23** Hii enim sunt custodes, qui animas non querunt sed vellera, qui peccata dissimulant aut leuiter reprehendunt, ut placeant, accidia inquisitionis de peccatis dormitant. **24** Sed isti amici mei laborent sollicite, ut iusticia obseruetur et teneatur, communitas diligatur, honor Dei augeatur et rebelles et impii puniantur. **25** Utrum autem vox iusticie mee veniet in diebus istorum an non, licitum non est eis scire. Sed ipsi stent firmiter et viriliter clament. Ego enim Deus veritas dabo eis mercedem veritatis."

Regina celi declarat quare, quando aliquando ipsa loquitur, dicit "nos" et, quando loquitur Christus, dicit "ego"; et comminatur grauitur cuidam regi, si non separauerit a se unum iniquum consiliarium; et monet regem, quod sit vigilans et sollicitus in Dei caritate. Capitulum XIX.

1 Mater Dei loquitur ad sponsam dicens: "Miraris, cur ego aliquando dico 'nos', quando loquor tibi; et cum Filius meus loquitur tibi, dicit 'ego'. **2** Scias, quod hoc ideo est, quia quando Filius meus loquitur tibi, ipse ex parte deitatis loquitur tecum, quia trinitas unus Deus est. **3** Cum vero loquor ego, ex virtute eiusdem trinitatis loquor et verbum trium personarum unum et idem est verbum. Ideo ego dico 'nos'.

4 Dic itaque isti regi, pro quo tu modo oras, quod Mater caritatis incautat et precauet eum de pudore et verecundia et dampno suo. **5** Pudor enim et verecundia esset, si dominus loco sui constitueret seruum suum, dampnum autem esset, si aliquis archam plenam auro cambiret seu permutaret pro archa vacua vel parui valoris. **6** Sic iste rex proponit exaltare seruum dyaboli cupiens obedire ei, quod utique pudor spiritualis est. **7** Ideo iuro per corpus quod natum est de corpore meo, scilicet per Iesum Christum filium meum, quod nisi separauerit illum cum consilio sapientum a se, faciendo eum simplicem secundum generationem suam simplicem nec tribuendo ei potestatem eciam unius obuli omnium, que regalium sunt, **8** ego flagellabo eum a vertice capitis usque ad calcaneum, donec dicat ex dolore: 'Miserere mei Maria, quia prouocaui te ad iram!' **9** Secundo precaueo eum de dampno, quod scilicet non attendat ad modicam quietem, ut incurrat longam inquietudinem, sed magis laboret sollicite et fortiter in diuina caritate, ut obtineat illud aurum preciosum et eternum. **10** Si vero obedire noluerit sicut Filius meus dixerat sibi, dimittat, quia nos bene inueniemus vias per quas sine obprobrio mundi et dampno poterit inchoata declinare."

Mater Dei dicit regibus, quod non recipiant consilia ab hominibus cecis et surdis et mutis et infirmis in anima sed a sanis spiritu et virtutibus. Capitulum XX.

1 Mater Dei loquitur sponse dicens: "Dic regi pro quo tu supplicas, quod ipse habet quinque famulos, quorum primus est cecus, **2** attamen materia quedam est, de qua ymago potest fieri pulchra. Ideo consilia non sunt querenda a ceco, antequam habeat clarum visum. **3** Secundus est surdus, quia in aures eius nulla ingreditur diuina caritas et ideo non sunt cum eo conferenda spiritualia, nisi habuerit auditum meliorem. **4** Tercius famulus est mutus, quia caritas diuina non est in anima eius. Et ideo totum quod loquitur aut est propter timorem pene aut propter lucrum mundi aut ad placendum. **5** Quartus est paraliticus in omnibus membris et ideo inhabilis est ad opus spirituale. **6** Quintus est totus leprosus spiritualiter, et ideo fugienda est eius presenciam, ne alii ab eo maculentur.

7 Pro hiis vero quinque famulis, quos ei dissuademus, disponimus ei alios quinque, qui sunt bene videntes et audientes spiritualiter et sine spiritali macula, quibus si obedierit amicitiam Filii mei retinebit. **8** Item dic ei, quod obedienter stet in corona. Alioquin Filius meus vocabit eum sub coronam. Istud enim verbum exponam tibi tempore suo."

Quidam nobilis deridebat de Deo coram uno rege, et Christus comminatur eidem regi nisi illum corripiat, quia iudici corripienti peccatorem propter Deum duplicabitur corona, dissimulanti vero duplicabitur pena.

Capitulum XXI.

1 Filius Dei loquitur sponse: "Cur turbaris quod illum, qui deridebat me, tam pacienter supporto? Nescis, quod graue est eternaliter ardere? **2** Nam ubi colores diuersi seminantur, si ante tempus debitum succiduntur, non ita valent rei colorande, sicut si debito tempore colliguntur. **3** Sic verba mea, que cum iusticia et misericordia manifestanda sunt, usque ad plenitudinem maturitatis crescere debent. Et tunc rei, cui apponende sunt, magis conuenient et virtutem meam conuenienter colorabunt. **4** Et ideo caueat rex, ne anima sua sit pro anima illius deridentis me. **5** Quia qui corripit peccatorem propter Deum, ne puniatur a Deo, sicut fecit Moyses, duplicabitur ei corona eius, et quia placat iram Dei et quia minuit iudicium delinquentis, ne in eternum puniatur. **6** Qui vero dissimulat delinquentem corrigere, duplicabit penam, scilicet augendo penam in futurum et iusticiam non exercendo."

Requisita sponsa a regalibus in regno Cypri, quod oraret Deum pro rege et regno, Christus apparuit eidem sponse existenti in Ierusalem et dat ei notabile documentum, quod scribat regi et patruo suo principi.

Capitulum XXII.

0 Christus per sponsam loquitur regi Cypri, puero XIII annorum, et patruo suo principi, gubernatori regni predicti, dicens ad sponsam: "Attende, filia, ad consilia, que debes dare isti puero regi et principi patruo suo, et scribe eis illa quasi ex parte tua dicens eis sic: **1** Primo consulo vobis, quod quilibet vestrum cum confessore suo puram et plenam confessionem faciat de omnibus, que commisit contra Dei voluntatem, et sic statim recipiatis corpus Domini Iesu Christi in altari cum timore et caritate Dei.

2 Secundum consilium est, quod ambo sitis uniti in vero amore ita, quod sitis cor unum ad Deum et honorem eius, regendo regnum ad Dei honorem et subditorum utilitatem. **3** Tercium consilium est, quod ambo sitis uniti in vera caritate cum subditis vestris, indulgendo et parcendo solummodo propter reuerenciam passionis et mortis Iesu Christi omnibus, qui consilio, facto vel fauore dederunt operam in morte patris vestri, regis Petri, **4** accipiendo illos toto corde in vestra caritate ad hoc, quod Deus in suam misericordiam recipere vos dignetur ac etiam ut ipse ad regendum regnum velit vos roborare ad sui honorem.

5 Quartum consilium est, quod, ex quo diuina prouidencia constituit vos gubernatores regni, adhibeatis omnem diligenciam, quam poteritis, in colloquendo et efficaciter caritativo animo consulendo omnibus prelati, tam ecclesiarum quam religionum, **6** quod omnes ipsi et eorum subditi se corrigant in omnibus, in quibus a sancto statu priorum sanctorum patrum, suorum predecessorum, quomodolibet deuiauerunt spiritualiter vel temporaliter, et ad viuendum pure in pristinum statum predecessorum suorum celeriter se reducant, **7** ut sic status ipsorum totaliter reformetur, ut sic ipsi et eorum subditi veraciter emendati obtineant amicitiam Dei et digni efficiantur ad rogandum Deum, quod ipse dignetur statum uniuersalis Ecclesie in sanctitate virtutum misericorditer renouare.

8 Quintum consilium est, quod propter illam caritatem magnam, qua Deus dilexit animas vestras, velitis et vos diligere animas subditorum vestrorum, **9** consulendo vestro populo militari, quod omnes, qui Deum in aliquo offenderunt, celeriter et humiliter se corrigant et omnes, qui sunt sub obedientia Romane ecclesie, qui ad annos discrecionis peruenerunt, humiliter confessiones exerceant; cum proximis, quos offenderunt, se reconcilient et concordiam faciant reuerendumque corpus Christi emendati accipiant; **10** post hec autem catholicam vitam ducant, viuendo scilicet fideliter in matrimonio aut in viduitate aut eciam in statu laudabilis virginitatis, omnia quoque illa, que Sancta Ecclesia precepit, obseruando, **11** familiares et domesticos et subditos et omnes alios, quos poterint, ad sic faciendum suo bono exemplo ac verbo et opere caritatis visceribus inducendo ac eos in talibus statibus suis bonis ammonicionibus roborando. **12** Et sciatis certissime, quod omnes, qui in hiis noluerint obedire, in corpore et anima dispendium patientur.

13 Sextum consilium est, quod loquamini cum omnibus prelati, quod ipsi efficaciter et frequenter ammoneant omnes clericos suos, scilicet rectores ecclesiarum, quod quilibet eorum in parochia sua inquiret diligenter, si aliqui parochianorum sint, qui in aliquibus peccatis publicis male viuendo persistent in Dei offensionem et Sancte matris Ecclesie contemptum; **14** et quos taliter inuenerint in suis peccatis publicis impudenter viuendo, eos efficaciter ammonendo precaueant de periculo animarum suarum et doceant eos tales modos et spiritualia remedia, per que se valeant et debeant humiliter emendare. **15** Si vero aliqui in publicis peccatis viuencium obedire humiliter noluerint, tunc iidem ecclesiarum rectores non differant denunciare suis prelati superioribus et episcopis, ut talium obstinatorum proteruitas per eosdem prelatos censura ecclesiastica iuridice corrigatur et comprimatur. **16** Si autem predicti episcopi et prelati propter ipsorum pertinaciam et superbiam aut propter eorum temporalem potenciam illos corrigere nequierint et punire, **17** tunc vobis, dominis meis, consulitur ex parte Dei, quod vestra potenti manu sitis cooperatores dictorum prelatorum, ut auxilio vestro et fauore dicti peccatores indurati corrigantur, ut sic Dei misericordiam consequantur.”

Reuelacio secunda facta in Ierusalem, et Christus precepit per sponsam dicto regi Cypri et principi, quod statim publicarent eam toti regno sine mora, ut se emendarent. Et quia non fecerunt, ideo in proximo destructi sunt per Ianuenses terribiliter. Capitulum XXIII.

1 Cum sponsa staret orando, in extasi contemplacionis suspensa, videbat rapta in spiritu unum palacium incomprehensibilis magnitudinis et pulchritudinis indicibilis. **2** Et ibi videbat Christum ut summum imperatorem inter sanctos suos in throno excelso imperiali sedere. Qui suum benedictum os aperiens proferebat hec verba, que inferius annotantur.

3 ”Ego vere sum ipsa summa caritas. Omnia enim, que ab eterno feceram, ex caritate feci, et similiter omnia, que facio et in futurum faciam, totum ex mea caritate procedit. **4** Nam caritas ita incomprehensibilis et intensa nunc in me est, sicut erat in tempore passionis mee, quando per mortem meam liberaui de inferno omnes electos, qui hac redempcione et liberacione digni erant. **5** Quia adhuc si possibile esset, quod ego tociens morerer, quot sunt anime in inferno, ita quod pro qualibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset subire hec omnia cum libenti voluntate et perfectissima caritate. **6** Sed vere iam impossibile est, quod corpus meum possit amplius mori seu aliquam penam vel tribulacionem pati. **7** Et sic eciam impossibile est stante lege currente, quod aliqua anima, que post mortem meam est vel fuerit in infernum dampnata, inde umquam amplius liberetur; **8** nec

fruetur celesti gaudio, quo fruuntur sancti et electi mei ex corporis mei glorifica visione, sed sencent infernales penas in eterna morte, quia noluerunt frui beneficio mortis et passionis mee neque voluerunt sequi voluntatem meam, dum vixerunt in mundo. **9** Ceterum quia super offensas michi factas nullus est iudex nisi ego ipse et propter hoc caritas mea, quam hominibus semper ostendi, conqueritur coram iusticia mea, ideo ad iusticiam pertinet super hoc iudicare secundum meam voluntatem.

10 Modo ego conqueror super habitatores regni Cypri, quasi super unum hominem. **11** Sed non conqueror de amicis meis ibidem habitantibus, qui me toto corde diligunt et meam in omnibus voluntatem sequuntur, sed ad illos omnes quasi ad unam personam conquerendo loquor, qui me contempnunt et mee voluntati semper obsistunt michique permaxime aduersantur. Et idcirco nunc incipio loqui omnibus eis tamquam uni.

12 O, popule Cypri michi aduersarie, ausculta et attende diligenter ea que tibi dico! Ego te dilexi sicut pater unicum filium suum, quem ad omnem honorem voluit exaltare. **13** Ego disposui tibi terram, in qua habundanter posses habere omnia necessaria ad sustentacionem corporis tui. **14** Ego misi tibi Spiritus Sancti calorem et lumen, ut intelligeres rectam fidem Christianam, cui tu fideliter te obligasti et sacris statutis ac obediencie Sancte Ecclesie humiliter subiugasti. **15** Ego eciam locaui te in loco, qui bene decens esset fideli seruitori, videlicet inter inimicos meos, ut pro tuis laboribus terrenis et corporali certamine preliorum obtineres in meo regno celesti preciosiorem coronam. **16** Ego quoque portauit te diu in corde meo, id est in caritate deitatis mee, et custodiui te sicut pupillam oculi in omnibus aduersitatibus et tribulacionibus tuis. **17** Et quamdiu tu precepta mea seruasti et obedienciam ac statuta Sancte Ecclesie fideliter custodisti, tunc certissime quasi infinite anime regni Cypri peruenerunt ad regnum meum celeste, eterna gloria mecum perhenniter fruiture.

18 Sed quia tu iam facis tuam propriam voluntatem et omnia illa que delectant cor tuum, non timens me, qui iudex tuus sum, nec diligens me, qui creator tuus sum, qui eciam redemi te durissima morte mea, et me ex ore tuo exspuisti sicut rem fetidam et insipidam, **19** et quia eciam inclusisti dyabolum simul cum anima tua in camera cordis tui, me quoque inde expulisti tamquam furem et latronem neque magis erubescebas in conspectu meo peccare quam irrationabilia animalia in commixcione sua, **20** idcirco digna iusticia est et iustum iudicium, quod tu in celo expellaris ab omnibus amicis meis et colloceris perpetuo in inferno in medio inimicorum meorum. **21** Et hoc indubitanter scias, quod Pater meus, qui est in me et ego in eo et Spiritus Sanctus in nobis ambobus, ipse est michi testis, quod numquam nisi veritas exiuit de ore meo. **22** Propter quod veraciter scias, quod quicumque ita dispositus fuerit, sicut tu modo es, et se emendare noluerit, ipsius anima ibit eandem viam, qua Lucifer iuit propter superbiam suam et Iudas, qui me vendidit propter cupiditatem suam, et Zambri, quem Phinees interfecit propter luxuriam suam. **23** Ille quidem peccauit cum muliere contra preceptum meum et ideo post mortem suam anima eius dampnata fuit ad infernum.

24 Propterea, popule Cypri, annuncio tibi, quod si tu nolueris te corrigere et emendare, tunc ego generacionem et progeniem tuam ita delebo in regno Cypri, quod nec pauperi persone parcam neque diuiti; **25** ita eciam delebo eandem generacionem tuam, quod in breui tempore ita labetur memoria tua a cordibus hominum, ac si numquam fuissetis nati in mundo. **26** Postea vero placet michi plantare nouas plantas in hoc regno Cypri, que precepta mea perficient et toto corde me diligunt. **27** Sed tamen sciatis pro certo, quod, quicumque vestrum voluerit se corrigere et emendare et ad me cum humilitate reuerti, ego ei gaudenter occurram ut pius pastor, leuando eum super humeros meos et ad oues meas eum personaliter reportando. **28** Per humeros enim meos hoc intelligo, quod scilicet beneficio passionis et mortis mee, quam

corpore et humeris meis sustinui, qui se emendauerit, percepturus erit mecum eternam consolacionem in regno celorum.

29 Noueritis eciam certissime, quod vos inimici mei, in dicto regno habitantes, non eratis digni, ut talis mea diuina reuelacio vobis mitteretur, **30** sed aliqui amici mei in eodem regno existentes, qui michi fideliter seruiunt et me toto corde diligunt, laboribus suis et precibus lacrimosis inclinauerunt me ad hoc, ut facerem vos intelligere per istam meam reuelacionem graue vestrarum periculum animarum. **31** Quia aliquibus dictorum amicorum meorum ibidem diuinitus ostensum fuit, quam innumerabiles anime de dicto regno Cypri a celesti gloria excluduntur et ad Gehennalem mortem eternaliter condempnantur.

32 Ista autem supradicta verba loquor ego ad illos Christianos Latinos obediencie Romane ecclesie subiectos, qui michi in baptismo rectam fidem Romanam catholicam deuouerunt et per opera michi contraria a me totaliter recesserunt. **33** Greci autem, qui sciunt, quod omnes Christianos tenere oportet unam tantum fidem Christianam catholicam et uni solummodo subesse ecclesie, scilicet Romane, unumque solum vicarium meum generalem in mundo, videlicet summum Romanum pontificem, supra se spirituales habere pastorem, **34** et tamen nolunt se eidem ecclesie Romane et vicario meo spiritualiter subicere et humiliter subiugare propter eorum pertinacem superbiam aut propter cupiditatem vel propter carnis petulanciam siue propter aliquid aliud, quod ad mundum pertinet, indigni sunt veniam a me et misericordiam obtinere post mortem. **35** Alii vero Greci, qui desideranter vellent sed scire non possunt fidem catholicam Romanam et tamen, si scirent et possent, eam deuote et libenter reciperent et Romane ecclesie se humiliter subiugarent, et nichilominus secundum ipsorum consciencias in statu et fide sua, qua sunt, abstinent a peccando et pie viuunt, istis talibus post ipsorum mortem in suppliciis misericordia mea debetur, quando ipsi ad iudicium meum vocati fuerint. **36** Sciant eciam Greci, quod eorum imperium et regna siue dominia numquam stabunt segura seu in vera pace tranquilla, sed inimicis suis semper subiecti erunt, a quibus semper sustinebunt grauissima dampna et miserias diuturnas, donec ipsi cum vera humilitate et caritate se subiecerint ecclesie et fidei Romane, eiusdem ecclesie sacris constitucionibus et ritibus se totaliter conformando.”

37 Hiis autem sic visis et auditis in spiritu per sponsam dicta visio disparuit et tunc remansit sponsa cum magno pauore et admiracione suspensa.

Christus innuit hic per exemplum, quod reges humiles et prompti debent esse ad audiendum consilia secreta amicorum Dei, eciam si non sint adornati exteriori verbosa eloquencia, quia sepe illa, que apud mundanos videntur iusta, reprobata sunt apud Deum. Capitulum XXIII.

1 Filius Dei loquitur sponse: ”Medicus quidam venit in regionem longinquam et ignotam, in qua rex non regebat sed regebatur, quia cor habebat leporinum. Et ideo sedens in throno regali quasi coronatus asinus apparebat. **2** Populus vero suus vacabat commessacionibus et sic equitatis et honestatis oblitus omnes de futuris bonis celestibus consulentes odiebat. Cumque medicus se presentaret regi et de terra delectacionis se esse diceret et causa cognicionis infirmitatum hominum se affirmaret venisse, rex admiratus de homine et de loquela eius respondit: **3** ’Ego habeo duos homines in carcere cras decollandos, et alter eorum vix respirare potest, alius vero robustior et corpulencior est nunc, quam cum in carcerem ingressus est. Ingredere igitur ad eos et contemplare vultus eorum, quis eorum melioris complexionis sit!’

4 Cumque ingressus fuisset medicus et vidisset eos, dixit regi: 'Homo, quem robustum dicitis, simillimus mortuo est nec viuere poterit. De alio vero spes bona est.' Cui rex: 'Unde' inquit, 'tu nosti hec?' **5** Et medicus: 'Quia,' inquit, 'alius impletus est humoribus et vento nociuo nec curari poterit, alter exinanitus facilliter poterit sanari mediante lenitate aeris.' Et tunc ait rex: 'Conuocabo nobiliores meos et sapientes, ut visa sapientia et industria tua gloriosus appareas in oculis eorum.' **6** Cui respondit medicus: 'Nequaquam,' inquit, 'hoc facito! Scis enim populum tuum inuidum esse glorie et, quem non poterit opere, persequitur et deprauat verbo. Sed expecta, et ostendam tibi soli in conclaui sapientiam meam. Sic enim instructus sum et doctus, scilicet sapientiam meam plurimam habere in secreto et modicam in aperto, **7** nec quero gloriam in tenebris tuis, cum in luce patrie mee glorior. Sed nec tempus sanitatis adhuc est, donec ventus australis afflauerit et sol in meridie apparebit.' Cui rex: 'Quomodo possent fieri ista in terra mea? **8** In ea enim sol rarissime oritur, quia extra climata sumus, et ventus aquilonaris semper dominatur nobis. Sed quid michi sapientia tua prodest et tanta mora sanitatis? Video enim te satis verbis habundare.' **9** Respondit medicus: 'Sapientis est non esse subitum. Sed ne tibi superbus aut ingratus appaream, da michi istos duos homines in potestate, et ducam eos ad fines regni tui, ubi aer est competencior, et tunc videbis, quantum opera quantumue valebunt verba!' **10** Cui rex: 'Alcioribus,' inquit, 'et utilioribus occupati sumus. Quid nos distrahis aut quid confert nobis magisterium tuum? In presentibus enim bonis delectamur, que videmus et possidemus. Ad futura vero et incerta non aspiramus. **11** Verumptamen suscipe homines illos, ut petis, et si ostenderis in eis aliquid magnificum et dignum admiratione, predicabimus te et predicari faciemus gloriosum.' **12** Susceptis igitur a medico hominibus illis et ad temperiem aeris deportatis alius transiit ad mortem, alius vero blandimento aeris refocillatus reuiuixit.

13 Medicus ille ego sum, qui mederi cupiens hominibus verba mea misi mundo per te. Quamuis autem infirmitates multorum vidi, duos tamen ostendi tibi, in quibus et iusticiam et misericordiam meam poteris admirari. **14** Unum enim ostendi tibi, quem dyabolus possedit occulte sed eternaliter puniendum. Cuius tamen opera hominibus videbantur et laudabantur tamquam iusta. Alterum vero ostendi, cui aperte dominabatur dyabolus, sed sanandum dixi tempore suo, licet non hominibus aperte, ut tu credebas. **15** Nam fuit iusticia diuina ut, sicut spiritus malignus paulatim in eum dominari ceperat, sic eadem dictabat iusticia, ut paulatim egrederetur, sicut et egressus est, donec, anima carne soluta, peruenit cum ea dyabolus ad iudicium.

Cui dixit iudex: 'Tu purgasti eam et cribrasti quasi triticum. **16** Nunc autem pertinet ad me pro confessione sua duplici corona coronare eam. Recede igitur ab ea, quam tanto tempore purgasti.' Et ait ad animam: 'Veni, o felix anima, et vide sensibus spiritualibus gloriam meam et iocunditatem meam!' **17** Ad alteram vero animam dixit: 'Quia fides vera non fuit in te et tamen quasi fidelis gloriabaris et laudabaris et quia opera iustorum perfecta non sunt inuenta in te, propterea merces illa fidelium non erit in te. Tu quoque in vita tua quesuisti, cur volui mori pro te et humiliari tantum pro te. **18** Ideo respondeo tibi nunc, quod fides Ecclesie Sancte vera est, que sursum trahit animas, et passio mea et sanguis meus introducit eas in celum. Ideo infidelitas tua et amor tuus vanus depriment te ad nichilum et nichil eris respectu spiritualium eternorum. **19** Quod vero dyabolus non egrediebatur videntibus cunctis de homine illo respondeo: Mundus iste est quasi vile tugurium respectu tabernaculi, quod inhabitat Deus populusque Deum exasperans. Ideo paulatim, sicut ingrediebatur, ita egrediebatur.'"

Iohannes Euangelista dicit sponse, quod reges qui iniustos homines diligunt, iustos deprimunt, excessus corrigendos dissimulant, subditorum bona auferre permittunt, grauamina imponunt et Deum opere non

honorant potius sunt coram Deo predones et proditores quam reges, et dicit modum qualiter se emendent.

Capitulum XXV.

1 Apparuit sponse persona quedam hominis, cuius crines videbantur circumcisi cum obprobrio et corpus perunctum erat oleo, totusque nudatus sed nichil erubescens; **2** qui ait ad sponsam: "Scriptura, quam vos vocatis Sanctam, dicit sic, quod nullum opus sine remuneracione erit. **3** Hec est illa scriptura, que apud vos Biblia vocatur sed apud nos est fulgida quasi sol, resplendens incomparabilius auro, fructificans quasi semen quod centuplum ex se profert fructum. **4** Sicut enim aurum cetera precellit metalla, sic scriptura, quam vos dicitis Sanctam, nos vero vocamus in celo eam auream, precellit omnes scripturas, **5** quia in ipsa honoratur et predicatur verus Deus, patriarcharum replicantur opera et prophetarum explanantur infusiones.

6 Ergo quia nullum opus sine remuneracione est, audi que loquor: Rex iste, pro quo tu supplicas, coram Deo predator est, proditor animarum prodigusque effusor diuiciarum. **7** Itaque sicut nullus proditor est peior illo qui diligentem se prodit, sic iste multos spiritualiter prodidit carnaliter diligendo iniustos, iniuste exaltando impios, iustos deprimendo et excessus corrigendos dissimulando. **8** Secundo nullus predo peior est illo qui prodit eum, qui in sinu eius caput suum reclinat. Sic populus regni quasi in sinu suo erat, quem iste rex miserabiliter depredatus est **9** aliorum bona auferri permittendo, aliis intolerabilia imponendo, aliorum iniurias dissimulando et iusticiam semper negligenter et remisse exercendo. Tercio nullus fur peior est illo qui creditis sibi omnibus et acceptis clauibus furatur domino inuito. **10** Sic iste rex accepit clauis potestatis et honoris, quibus iniuste et prodigaliter usus est, non ad honorem Dei. Sed quia aliqua sibi placita dimisit amore mei, ideo consulo sibi tria.

11 Primo quod sit sicut ille euangelicus, qui relictis siliquis porcorum rediit ad patrem. Sic ipse contempnat diuicias et honores, **12** que respectu eternorum non sunt nisi silique porcorum, redeundo cum humilitate et deuocione ad patrem suum Deum. Secundo dimittat mortuos sepelire mortuos suos et sequatur viam artam crucifixi Dei. **13** Tercio relinquat graue pondus peccatorum suorum et ingrediatur per viam illam, que in principio est ardua sed in fine gaudiosa.

14 Tu quoque, que vides me, intellige, quod ego sum ille, qui scripturam auream plenius agnouit et agnoscendo augmentaui. Ego fui nudatus ignominiose, sed quia pacienter sustinui, Deus vestiuit animam meam veste immortalis. **15** Ego etiam fui intinctus oleo, ideo nunc gaudeo oleo leticie sempiternae. Ego etiam post Matrem Dei leuissima morte de mundo transiui, quia custos Matris Dei fui, et corpus meum est in loco quietissimo et securissimo."

Videbat sponsa, qualiter beatus Dyonisius orabat Matrem Dei pro regno Francie, que exaudiens eum orat

Filium cum eo humiliter. Capitulum XXVI.

1 Cum essem orando sola vidi, qualiter beatus Dyonisius loquebatur ad Mariam virginem Matrem Domini dicens: "Regina misericordie tu es, cui data est omnis misericordia, et Mater Dei facta es propter miserorum salutem. **2** Miserere igitur regno Francie tuo et meo. Tuo quidem, quia habitatores eius te pro modulo suo honorant; meo autem, quia patronus eorum sum et in me habent fiduciam. **3** Tu quippe vides, quante anime periclitantur omni hora et hominum corpora quasi bestie prosternuntur et, quod grauius est, anime infinite quasi nix descendunt in infernum. Consolare ergo eos et roga pro eis ad Filium, quia domina

es et adiutrix omnium.” **4** Respondit Mater misericordie: ”Procedas ad Filium meum et audiamus propter sponsam que astat, quid ipse respondebit.”

Mater misericordie orat Filium cum beato Dyonisio pro regno Francie et Anglie et super guerra istorum duorum regum, qui assimilantur duabus bestiis ferocissimis. Capitulum XXVII.

1 Mater Dei loquitur ad Filium dicens: ”Benedictus sis tu, Fili mi. Scribitur, quod ego dicebar benedicta, que te portavi in utero meo. Tu vero respondisti, quod ille est eciam benedictus, qui verba tua audiret et seruaret illa. Ergo, Fili mi, ego sum illa, que verba tua memoriter in corde meo seruavi. **2** Ideo reduco unum verbum, quod dixisti Petro querenti, si dimitteret peccanti usque sepcies, respondisti dimittendum usque septuagies sepcies notans per hoc, quod quociens aliquis se humiliat cum voluntate emendandi, tociens tu paratus es dare misericordiam.” **3** Respondit Filius: ”Testimonium perhibeo tibi, quod verba mea fuerunt radicata in te sicut semen, quod seminatur in pingui terra dans ex se fructum centesimum. Sic eciam virtuosa opera tua omnibus faciunt leticie fructum. Ideoque pete que vis!”

4 Respondit Mater: ”Rogo te cum Dyonisio et aliis sanctis, quorum corpora in hac terra istius regni Francie sunt, anime vero in celo: Miserere isti regno! Ego enim per similitudinem loquendo propter istam sponsam, que presens est spiritu, video quasi duas bestias ferocissimas, quamlibet de genere suo. **5** Altera enim est cupidissima deglutire que potest habere, et quo plus comedit, eo magis esurit nec saciatur fames eius. Bestia vero secunda nititur super omnes ascendere. Iste bestie habent tria mala. Primo terribilem vocem, secundo sunt plene periculoso igne, tercio quelibet desiderat alterius cor in se deglutire. **6** Et una inquit in dorso alterius dentibus suis inuenire ingressum ad cor, ut mordendo occidat. Altera vero habet os ante pectus alterius volens ibi inquirere ingressum ad cor. **7** Vox terribilis istarum bestiarum auditur longe, et omnes bestie, que aperto ore veniunt, erunt ardentes igne istarum bestiarum; ideo cadent in mortem. Ille vero bestie, que clauso ore veniunt, priuantur vellere et discedunt nude.

8 In istis duabus bestiis intelliguntur duo reges, scilicet Francie et Anglie. Rex alter non saciatur, quia bellum suum est ex cupiditate, rex alius nititur ascendere et ideo ambo pleni sunt igne ire et cupiditatis. **9** Vox bestiarum est talis: ’Recipe aurum et diuicias mundi, ut non parcas sanguini Christianorum!’ Quelibet istarum bestiarum desiderat alterius mortem et ideo quelibet querit alterius locum ad nocendum. **10** Ille vero querit in dorso nocere, qui iniusticiam suam desiderat audiri esse iusticiam et ut alterius iusticia diceretur esse iniusticia. Alius autem querit in pectore nocere cordi, qui scit se habere iusticiam, et ideo facit multum dampnum non curans de perdicione et miseria aliorum nec in sua iusticia habet diuinam caritatem. **11** Ideo ergo querit in pectore alterius ingressum, quia ipse maiorem habet iusticiam ad regnum, et cum ipsa iusticia habet superbiam et iram. Alius vero habet minorem iusticiam, ideo ardet cupiditate.

12 Bestie quoque alie, que aperto ore veniunt, hii sunt qui propter cupiditatem veniunt ad eos. Et istorum ora aperta implent hii, qui vocantur reges sed sunt veri proditores. Proiciunt namque pecunias habundanter et dona in ora ipsorum et sic faciunt eos ardere ad bellum, ut cadant in mortem. **13** Quorum bona remanent et corpora recipiuntur in terra, et corrodunt vermes dyaboli eorum animas. Et sic isti duo reges produunt multas animas de Filio meo, qui eas redemit sanguine suo. **14** Ille vero bestie, que priuantur vellere, sunt homines simplices et qui contentantur de bonis suis; qui hac intencione procedunt ad bellum, quia credunt se habere iusticiam et bellum esse iustum. **15** Ideo priuantur velleribus, id est corporibus, per mortem. Anime vero eorum nudate a corpore recipiuntur in celum. Et ideo, benedice Fili mi, miserere!”

16 Respondit Filius: "Quia, Mater mea carissima, omnia vides in me, dic ista sponsa mea audiente, que astat spiritu, que est iusticia, ut reges isti exaudiantur." Et Mater respondit: "Ego," inquit, "audio tres voces. Prima est istorum regum, quorum unus cogitat sic: 'Si haberem mea, non curarem iam habere alia, et timeo carere omnibus.' **17** Et ex isto timore, scilicet quod timet obprobrium mundi, vertit se ad me dicens: 'O, Maria, roga pro me!' Alter vero rex taliter cogitat: 'Utinam essem in statu priori! Nam fessus iam sum.' Et ideo ipse se eciam conuertit ad me. Secunda vox est communitatis et populi, que cotidie rogat me pro pace. **18** Tercia vox est electorum tuorum, qui clamant dicentes: 'Non ploramus corpora mortuorum, non dampna, non paupertatem sed animarum casum, que cotidie periclitantur. Et ideo, o Domina, roga Filium tuum, ut anime saluentur!' Propterea, o Fili mi, miserere eis!"

19 Respondit Filius: "Scriptum est, quod pulsanti aperietur, vocanti respondendum est et petenti dabitur. Sed sicut omnis, qui pulsat, extra ostium est, sic et isti reges extra ostium sunt, quia me non habent in se. Sed tamen propter te petentibus est aperiendum."

Christus dicit sponse modum, per quem fiat pax inter reges Francie et Anglie. Quod si reges non obedierint, grauissime punientur. Capitulum XXVIII.

1 Item Filius Dei loquitur: "Ego sum rex metuendus et honorandus. Ideo propter preces Matris mee mittam regibus Francie et Anglie verba mea. Ego sum pax vera, et ubi pax est, ibi pro certo ego sum. Si igitur isti duo reges Francie et Anglie habere voluerint pacem, ego dabo eis perpetuam pacem. **2** Sed pax vera haberi non poterit, nisi veritas et iusticia diligantur. Et ideo, quia alter regum habet iusticiam, placet michi, ut per matrimonium fiat pax; et sic regnum ad legitimum heredem peruenire poterit. **3** Secundo volo, quod sint cor unum et anima una in augendo fidem sanctam Christianam, ubi commodius fieri poterit ad honorem meum. Tercio deponant intolerabiles exactiones et fraudulentas adinuenciones suas et diligant animas subditorum suorum.

4 Si autem ille rex, qui nunc tenet regnum, obedire noluerit, sciat pro certissimo, quod non prosperabitur in factis suis sed in dolore finiet vitam et regnum dimittet in tribulacionibus. Et filius et generacio sua erit in ira et obprobrio et confusione ita, quod omnes admirabuntur. **5** Si autem rex ille qui iusticiam habet obedire voluerit, adiuuabo eum et pugnabo pro eo. Si vero non obedierit, nec ipse perueniet ad desiderium suum sed priuabitur obtentis, et principium gaudiosum dolorosus exitus obscurabit. **6** Verumptamen, quando homines regni Francie assumpserint veram humilitatem, regnum perueniet ad legitimum heredem et bonam pacem."

Regina celi dicit per sponsam cuidam principi suo deuoto, quod principes iusti et boni, quando a regibus vocantur ad regimen reipublice, debent omnino acceptare illud onus regendi propter honorem Dei et utilitatem multorum. Capitulum XXIX.

1 Cum quidam magnus princeps et iustus regni Suecie, qui dominus Israel vocabatur, multis precibus ad dignitatem maiorem regiminis regni vocaretur multociens a rege, et ille habens desiderium eundi contra paganos et ibi in seruicio Dei pro fide sancta moriendi in bello, nullo modo ad suscipiendam dictam

dignitatem inclinaretur, tunc orante sponsa loquebatur ei Mater Dei dicens: **2** "Si," inquit, "illi, qui iusticiam sciunt et eam facere desiderant et possunt, recusant pro Deo suscipere onus et laborem, quomodo stabit regnum in vigore suo? **3** Vere illud non est regnum sed latrocinium et spelunca tyrannorum, ubi iniqui dominantur et iusti conculcantur. Et ideo homo iustus et bonus trahi debet caritate Dei et zelo bono offerre se ad regimen reipublice, ut proficiat multis. **4** Qui autem dignitates et regimina ambiunt propter honorem mundi, non sunt principes veri sed tyranni pessimi. **5** Ergo iste amicus meus Israel accipiat istam dignitatem regiminis regni propter honorem Dei, habendo semper in ore verba veritatis et in manu gladium iusticie, non respiciendo nec inclinando se ad fauores hominum nec ad cognatos et domesticos et amicos nec faciendo personarum acceptionem. **6** Nam dico tibi, quod adhuc dicetur de isto ab ore hominum: 'Iste exiuit de patria viriliter, honorauit Matrem Dei sinceriter, seruiuit Deo fideliter.' Propterea scias, quod per aliam viam cum magis ducam eum ad regionem meam."

7 Sic vere postea omnia hec euenerunt. Nam transactis aliquibus annis iste dominus Israel exiuit de patria contra infideles et venit in Alamaniam in ciuitatem Rigensem, ubi infirmatus est. **8** Qui sciens mortem vicinam ascendit cum aliquibus in ecclesiam cathedralem et ibi digito ymaginis beatissime Marie virginis, que ibi in maxima reuerencia colitur, impressit anulum preciosum et reliquit ibi dicens aperte ad ymaginem Virginis: **9** "Tu michi domina es et semper fuisti dulcissima, super quo te testem inuoco. Ideo me et animam meam tue prouidencie et misericordie derelinquo." Deinde sumptis sacramentis deuotissime mortuus est.

10 Post hec autem orante sponsa pro eo Mater Dei loquebatur de eo sic dicens: "Ipse dedit michi anulum caritatis sue desiderans me sponsam suam. **11** Vere, filia, scias, quod ipse, cum vixit, non dilexit me dimidio corde suo sed toto, et in omnibus operibus suis et iudiciis timuit Filium meum. **12** Et ideo ego duxi eum operante Deo Filio meo ad celum per viam sibi magis necessariam et utilem et presentavi eum celesti exercitui sanctorum et angelorum, a quibus ipse multum dilectus erat, ne, si in manibus parentum mortuus fuisset, consolacione temporali impediretur. **13** Eius quippe bona voluntas sic placuit Deo, ac si in paganismo moreretur pugnando contra infideles pro fide sancta catholica."

Christus dicit hic, quod reges debent coronari cum consilio spiritualium et sapientum virorum iustorum, quod reparentur spiritualiter muri Ierusalem, id est Ecclesie, et quod reformatur omnes status laycorum et clericorum et religionum in pristinum et antiquum statum obediencie et obseruancie mandatorum Dei et

Ecclesie. Capitulum XXX.

1 Christus loquebatur sponse oranti pro quodam rege Swecie dicens: "Is, qui de dyaboli membro factus est membrum meum, laboret sicut illi, qui reedificabant muros Ierusalem, qui pro legis destructe reparacione laborabant, qui utensilia domus Dei abducta congregabant et in locum pristinum restituebant. **2** Vere conqueror de tribus: primo, quod murus Ierusalem destructus est. Quis est murus Ierusalem, id est ecclesie mee, nisi corpora et anime Christianorum? Ex hiis enim edificari debet ecclesia mea. **3** Cuius murus iam corruit, quia voluntatem suam omnes perficere querunt et non meam. Auerterunt enim oculos suos a me et nolunt me clamantem audire. **4** Verba mea sunt eis importabilia, opera mea vana, passio mea abhominabilis ad cogitandum, vita mea intolerabilis et videtur eis impossibilis ad imitandum.

5 Secundo conqueror, quod instrumenta domus mee asportata sunt in Babilonem. Que sunt instrumenta domus mee, id est ecclesie mee, et vasa diuersa nisi dispositio et conuersacio clericorum et religiosorum? **6** Horum bona dispositio et ornatus asportatus est a templo meo ad Babilonem, id est ad superbiam mundi et ad voluptatem et delectacionem propriam. **7** Sapiencia mea et doctrina est eis vana, mandata mea onerosa, promissionem michi factam irritant, legem meam et constitutiones amicorum meorum, predecessorum suorum, prophanauerunt et suas nouas adinuenciones faciunt et habent pro lege.

8 Tercio conqueror, quod lex decem mandatorum meorum perdita est. Numquid non legitur in euangelio meo, quod, cum unus interrogaret me dicens: 'Magister, quid faciam, ut vitam eternam habeam?', respondi ei: 'Serua mandata mea!?' Que iam nunc perdita et neglecta sunt et oblita. **9** Ideo rex iste, pro quo tu oras, debet congregare viros spirituales sapientes sapientia mea et eos, qui Spiritum meum habent, interroget et inquirat diligenter secundum consilium eorum, quomodo murus ecclesie mee reedificetur in Christianis et honor Deo exhibeatur, fides recta catholica refloreat, caritas diuina ferueat et passio mea in corde hominum imprimatur. **10** Inquirat eciam rex, quomodo vasa domus mee restituantur in pristinum statum, scilicet ut clerici et religiosi relicta superbia reassumant humilitatem, incontinentes diligant castitatem, cupidi et mundiales abstineant a nimio mundi appetitu, ut lucere possint aliis. **11** Laboret eciam rex fortiter et sapienter, ut mandata mea attentius diligantur. Et congreget iustos Christianos, ut cum eis diruta spiritualiter reedificet. **12** Vere ecclesia mea nimis longe recessit a me in tantum, quod, nisi preces Matris mee interuenirent, non esset spes misericordie. **13** Sed inter omnes status laycorum milites plus aliis apostatauerunt. Quorum apostatancium periculum et pena tibi prius ostensa fuerunt."

Videbat sponsa in visione cadere solem et lunam in abyssum amisso splendore solito, que significant quendam regem et reginam mutantem bonos mores in malum, propter quod rex amisso regno captiuus mortuus est. Capitulum XXXI.

1 Dum starem orando, vidi in spiritu celum quasi turbulentum et solem et lunam fulgentes in serenitate clarissima, quorum lux eciam ultra celum se extendebat. **2** Cumque attente aspicerem, vidi, quod angeli boni et mali pugnabant contra solem et lunam sed non preualuerunt, donec draco magnus et terribilis ascendit in celo. Cui sol et luna dederunt potestatem et claritatem suam. **3** Et tunc statim sol factus est pallidus et niger et luna fugiit subter terram. **4** Cumque aspicerem ad terram, vidi eam plenam reptilibus et serpentibus, qui comedebant superficiem terre et occidebant homines caudis suis, donec sol cecidit in abyssum et locus lune non est inuentus amplius.

5 Transactis autem post hec undecim annis audiui vocem Christi dicentem michi: "Recordare, sponsa, quod ostendi tibi in ciuitate Stocholmis de celo turbulento. Nunc autem exponam tibi, quid illa significant. **6** Celum," inquit, "quod ostendi tibi turbulentum, regnum istud Swecie est. Nam regnum istud, quod quasi celeste et quietum et iustum esse deberet, iam turbine tribulacionum agitur et iniquitatibus et exactionibus conculcatur. **7** Nec mirum. Nam rex et regina, qui tamquam sol et luna fulgebant, iam denigrati sunt sicut carbones, quia moribus et voluntate immutati sunt. Hominem quoque de radice vipperea eleuauerunt, ut prosternant amicos et simplices meos. **8** Ideo scias, quod draco ipse confusus celerius descendet quam ascendit; et amici mei, quorum quidam vita sunt angelici, inter quos eciam aliqui sunt tamquam mali angeli vita sordidi, eleuabuntur et liberabuntur a tribulacionibus suis. **9** Sol vero

pallescet, donec venerit sub coronam, quia noluit iuste stare in corona. Et dicetur de eo, quod secundum splendorem eius multiplicatae sunt tenebre eius.”

Christus docet hic reges nouum et deuotum modum et formam creandi milites cuiusdam noue milicie ad impugnationem infidelium et defensionem sancte fidei et Ecclesie. Capitulum XXXII.

1 Christus loquebatur ad sponsam inter alia dicens: ”Attende, sponsa, et scias, quod status laycorum bene erat alio tempore antiquo dispositus. Nam quidam eorum excolebant terram et labori agrorum viriliter instabant. **2** Alii velificabant nauibus et mercimonia ad alias regiones deferebant, ut unius regionis fertilitas alterius subleuaret inopiam; alii instabant operi manuum et diuersarum arcium. **3** Inter istos erant quidam defensores fidei et ecclesie mee, qui nunc dicuntur curiales seu armigeri, qui assumpserunt sibi arma ad ulcionem Ecclesie Sancte et fidei et expugnationem inimicorum eius.

4 In istis curialibus apparuit quidam bonus homo et amicus meus, qui cogitabat apud se sic: ’Ego,’ inquit, ’non excolo terram ut agriculor, non desudo in fluctibus maris ut mercator, non insisto operi manuum ut operator egregius. **5** Quid ergo faciam aut quibus operibus placabo Deum meum? Sed nec virilis sum in labore Ecclesie, corpus meum debile est et molle ad paciendum vulnera, manus remissa ad feriendum inimicos, mens fastidiosa ad cogitandum celestia. **6** Quid ergo faciendum est modo? Certe scio, quid faciam. Surgam enim et obligabo me cum iuramento stabili sub temporali principe, quod defensurus sim viribus et sanguine meo fidem Sancte Ecclesie.’

7 Veniens autem ille amicus meus ad principem seu regem ait: ’Domine, ego sum de defensoribus Ecclesie. Corpus meum nimis molle est ad paciendum vulnera, manus remissa ad feriendum, mens instabilis ad cogitandum bona et laborandum, voluntas michi placet propria, requies non sinit me fortiter pro domo Dei stare. **8** Ideo constringo me cum iuramento publico sub obediencia Sancte Ecclesie et tua, o princeps, quod eam defensurus sim omnibus diebus vite mee, ut, si forte tepida mens et voluntas fuerit ad certandum, propter iuramentum teneor et compelli possum ad laborandum.’ **9** Cui respondit princeps: ’Vadam tecum ad domum Domini et ero testis iuramenti tui et promissionis tue.’ Venientes autem ambo ad altare meum amicus meus flexo genu ante altare meum dixit: **10** ’Ego nimis infirmus sum in carne mea ad paciendum vulnera, voluntas propria nimis est michi cara, manus tepida ad feriendum. **11** Ideo in presenti promitto obedienciam Deo et tibi, qui caput es, cum iuramento meo firmiter astringens me Sanctam Ecclesiam contra inimicos eius defensurum, amicos Dei confortaturum, viduis et orphanis et fidelibus Dei benefacturum, contra Ecclesiam Dei et fidem eius numquam aliquid contrarium acturum. **12** Et insuper obligo me correccioni tue, si errare me contingat, ad hoc, ut obligatus ad obedienciam tanto magis cauere possim peccata et voluntatem propriam et tanto feruencius et facilius insistere voluntati Dei et tue sciamque tanto michi esse dampnabilius ceteris et contemptibilius, si violata obediencia mandatis tuis contraire presumpsero.’

13 Facta autem ista professione ad altare meum, princeps sapienter considerans disposuit sibi habitum ab aliis secularibus distinctum, in signum abdicacionis voluntatis proprie. **14** Et ut sciret se superiorem habere et debere ei obtemperare, dedit eciam princeps in manu eius gladium dicens: ’Hoc gladio inimicos Dei comminues et interficies!’ Dedit et in brachium eius clipeum dicens: **15** ’Hoc clipeo defende te contra inimicorum iacula et pacienter tolera illata, ut prius crepat clipeus, quam fugias!’

16 Iste vero amicus meus hec omnia, audiente clerico meo qui presens erat, firmiter seruaturum se promisit. Qui clericus facta promissione dedit ei corpus meum in robur et fortitudinem, ut amicus meus per corpus meum michi unitus numquam a me separaretur. **17** Talis fuit amicus meus Georgius et plures alii, tales et deberent esse milites, qui nomen deberent habere propter dignitatem, habitum propter operationem et defensionem fidei sancte.

18 Audi nunc, sponsa, quid inimici mei faciunt contra ea, que amici mei prius fecerunt. Milites quippe, qui mea portabant arma, erant parati dare vitam pro iusticia et effundere sanguinem suum propter fidem sanctam, indigentes promouendo ad iusticiam malosque deprimere et humiliare. **19** Sed nunc audi, quomodo auersi sunt. Placet quippe nunc eis magis mori in bello pro superbia et cupiditate et inuidia iuxta dyabolicas suggestiones quam secundum mandata mea viuere ad obtinendum gaudium sempiternum. **20** Ergo omnes milites, qui in tali voluntate moriuntur, dabitur eis stipendium a iudicio diuine iusticie, scilicet animabus eorum in eterna dyaboli coniunccione. Hii vero, qui michi seruiunt, tenentur habere stipendium cum celesti exercitu sine fine. **21** Hec verba ego Iesus Christus locutus sum, verus Deus et homo, unus cum Patre et Spiritu Sancto semper Deus.”

Verba Christi ad sponsam de occurso demonum ad animam militis, qui apostatauerat a vera milicia virtuosa et sancta et militabat mundo et viciis, et de eius terribili iudicio dampnacionis. Capitulum XXXIII.

1 ”Omne tempus huius vite non est nisi quasi una hora apud me. Ideo quod dico tibi nunc semper fuit in prescencia mea. **2** Dixi tibi prius, quod unus erat, qui incepit veram miliciam. Nunc autem dico tibi de alio, qui misere discessit ab ea, quem innumerabiles alii postea secuti sunt et cotidie sequuntur. Ille vero qui discessit a vera milicia egressus est de templo humilitatis mee. **3** [17] Et reiecto clipeo fidei sancte et gladio timoris mei ascendit in campum cum omni superbia, exercuit se in omni voluptate et delectacione ac in omni appetitu voluntatis proprie, contempto timore meo proficiens in peccato suo et voluptate.

4 [18] Dum autem venisset ad extremum finem vite sue et anima exiret de corpore, demones occurrerunt ei cum impetu. **5** [19] Contra quam animam tres voces de inferno statim sonuerunt. Prima dixit: **6** [20] ’Numquid non est iste, qui recessit de humilitate et sequebatur nos in omni superbia? Et si adhuc duobus pedibus alcius in superbia supra nos ascendere potuisset, ut excessisset nos et primatum habere potuisset in superbia, libenter fecisset.’ **7** [21] Cui voci anima illa misera respondit: ’Vere ego sum.’ **8** [22] Cui respondit diuina iusticia: ’Hec est retribucio tue superbie, ut de uno demone cadas in alium, donec venias ad nouissimum inferni. **9** [23] Et sicut nullus demonum erat, qui non sciebat certam penam suam et supplicium pro omni cogitatu inutili et opere infligendum, sic nullius supplicium effugies, quin omnium malicie et nequicie particeps sis.’

10 [24] Secunda vox demonum clamabat dicens: ’Numquid non est iste ille miles, qui de milicia Dei professa separauit se et adhesit milicie nostre?’ **11** [25] Respondit anima militis: ’Vere ego sum.’ Et tunc dixit diuina iusticia: ’Hec est sors premii tui, ut, quicumque miliciam tuam sequitur, malicia sua et pena dolorem tuum et penam augmentabit et in aduentu suo ad te quasi letali vulnere percuciet te. **12** [26] Sicut enim ille qui haberet vulnus seuum, si ei vulnus super vulnus usque quo corpus vulneribus plenum esset inferretur, intolerabiliter affligeretur et clamaret ve super ve, sic miseria super miseriam veniet tibi, **13** [27] dolor tuus super omnem dolorem renouabitur, pena tua numquam deficiet et ve tuum numquam minuetur.’

14 [28] Tercia vox de inferno clamauit dicens: 'Numquid non est iste, qui vendidit suum creatorem pro creatura, caritatem creatoris pro amore sui?' **15** [29] Respondit iusticia: 'Utique ipse est. Ideo aperientur ei quasi due aperture. **16** [30] Per unam ingredietur ei omnis pena constituta pro minimo peccato usque ad maximum, quia vendidit creatorem suum pro voluptate sua. **17** [31] Per secundam vero ingredietur ei omnis dolor et confusio, nec umquam ingredietur ei consolacio et caritas diuina, quia dilexit se pro creatore suo. **18** [32] Ideo sine fine durabit vita et sine fine durabit pena, quia omnes sancti auertunt faciem suam ab eo.'

19 [33] Ecce, sponsa mea, quam miseri erunt qui me contempnunt et quantum dolorem emunt pro modica voluptate!"

Christus imperator ad preces Iohannis baptiste et virginis Marie concedit, quod armetur unus miles eorum deuotus spiritualiter, quem ipsi et Petrus et Paulus apostoli armant splendide preciosis armis spiritualibus virtutum hic contentis, notabile documentum pro militibus. Capitulum XXXIII.

1 Christus loquebatur sponse dicens: "Tu in gramatica tua composuisti hodie prouerbium, quod melius esset preuenire quam preueniri. Sic ego preueni te dulcedine gracie mee, ne dyabolus dominaretur anime tue."

2 Et statim apparens Iohannes baptista dixit: "Benedictus sis tu, Deus, qui es ante omnia, cum quo nullus umquam fuit deus et preter quem nullus et post quem nullus erit, quia tu eras et es eternaliter unus Deus. **3** Tu es veritas promissa a prophetis, de quo ego nondum natus exultaui et quem demonstrando plenius agnoscebam. Tu es gaudium nostrum et gloria, tu desiderabile nostrum et fruicio, quia videre te replet nos suauitate indicibili, quam nemo agnoscit, nisi qui degustat. **4** Tu quoque es sola dileccio nostra. Nec mirum, quod diligimus te, quia tu, cum sis ipsa caritas, non solum diligentes te diligis sed eciam, cum omnium sis creator, eciam hiis facis caritatem, qui te dedignantur scire. **5** Nunc ergo, Domine mi, quia diuites sumus de te et in te, rogamus te, ut des de nostris diuiciis spiritualibus hiis, qui nichil diuiciarum habent, ut, sicut nos gaudemus in te non nostris meritis, sic plures participantur bonis nostris."

6 Respondit Christus: "Tu vere es summum membrum cum capite et iuxta caput. Verumptamen fauces sunt propinquiores et excellenciores. Sic ego omnium caput sum, Mater vero mea quasi fauces, deinde angeli. **7** Tu vero et apostoli mei quasi spondilia dorsi, quia non solum diligitis me sed et diligentes me promouendo honoratis. Ideo fixum est, quod dixi: opera, que ego facio, et vos facietis; et voluntas vestra est voluntas mea. **8** Sicut enim non mouetur caput carnale sine membris, sic nec in vestra spirituali coniunccione et unione est aliquid velle et non posse sed totum est posse, quod unusquisque vestrum velit. Ideo fiat, quod velis."

9 Quibus dictis Iohannes quendam militem quasi semimortuum produxit in medium et dixit ad Christum: "Ecce, Domine, ecce iste, qui hic astat, deuouerat tibi miliciam; qui conatur ad pugnandum sed non preualet, quia inermis est et infirmus. **10** Ego vero duplici de causa iuuare eum teneor tum propter merita parentum, tum eciam propter caritatem, qua afficitur circa honorem meum. Ergo propter temet ipsum da ei vestes milicie, ne appareat confusio nuditatis sue."

11 Respondit Dominus: "Da," inquit, "ei quod vis et vesti eum, sicut placet!" Tunc ait Iohannes ad militem illum: "Veni, fili, et accipe a me primum vestimentum milicie tue; quo adepto facilius accipere et tolerare poteris reliqua militaria indumenta. **12** Ad militem itaque pertinet habere vicinius ad carnem vestimentum, quod molle est et leue, scilicet dyploidem. Hanc ergo induam te, quia sic placet Deo. Sicut enim corporalis dyplois mollis est et leuis, sic spiritualis dyplois est habere Deum carum in anima et suauem in affectu. **13** Dulcedo quippe ad Deum prouenit ex duobus, scilicet ex consideracione beneficiorum Dei et ex recordacione peccatorum commissorum. Hec duo ego habui quando eram puer. **14** Consideraui quippe, quali gracia me preuenerat Deus nondum natum, quanta benediccione benedixit me post natiuitatem meam, et considerando ingemui cogitans, quid possem dignum reddere Deo meo pro talibus beneficiis. **15** Consideraui eciam instabilitatem mundi et ideo fugiens a seculo cucurri in heremum, ubi tantum dulcescebat michi Dominus Iesus meus, quod omnia desiderabilia mundi erant michi in fastidio ad cogitandum et onerosa ad concupiscendum. Veni ergo, o miles, et induere ista dyploide, quia reliqua dabuntur tibi tempore suo."

16 Deinde apparuit beatus Petrus apostolus dicens ad militem: "Iohannes dedit tibi dyploidem; ego autem, qui grauiter cecidi sed fortiter surrexi, impetrabo tibi lorica, id est diuinam caritatem. **17** Sicut enim lorica constat esse ex multis circulis ferreis, sic caritas defendit contra tela inimici et animequorem reddit hominem ad tolerandum mala ingruencia, agiliorem efficit ad honorem Dei et feruenciosem ad diuinos labores, inuictum facit in aduersitatibus, longanimum in spe et perseuerantem in inceptis. **18** Hec itaque lorica fulgere debet ut aurum, fortis esse ut calix et ferrum, quia omnis homo caritatem habens ductilis debet esse ut aurum per pacienciam contra aduersitates fulgensque per sapienciam et discrecionem, ne heresim recipiat pro integritate fidei dubiaque pro certis. **19** Sit quoque lorica spiritualis fortis ut ferrum, ut, sicut ferrum domat omnia, sic homo utens caritate studeat humiliare eos qui resistunt fidei et bonis moribus, non retrocedat propter allocuciones, **20** non flectatur propter amicitias, non tepescat propter commoda sua temporalia, non dissimulet propter quietem carnis, non vereatur propter mortem, quia nemo potest auferre vitam nisi permittente Deo. **21** Verumptamen quamuis lorica ex multis constat esse circulis, tamen duo sunt principales circuli, quibus lorica caritatis contextitur. Primus itaque caritatis circulus est cognicio Dei et frequens consideracio diuinorum beneficiorum et preceptorum, ut sciat homo, quid faciendum Deo, quid proximo quidue mundo. **22** Secundus circulus est refrenacio proprie voluntatis propter Deum. Omnis quippe homo, qui Deum perfecte et integre diligit, nil sibi ipsi de voluntate sua, que contra Deum est, reseruat. Ecce, fili, hanc lorica, dat tibi Deus, et ego eam promerui tibi preuentus caritate Dei."

23 Deinde apparuit beatus Paulus dicens ad militem: "O, fili, Petrus summus pastor ouium dedit tibi lorica, ego vero ex caritate Dei dabo tibi thoracem, que est caritas ad proximum, velle scilicet pro salute proximi libenter operante Dei gracia mori. **24** Sicut enim in thorace multe sunt lamine combinate et clauis coniungentes illas, sic in caritate proximi multe concurrunt virtutes. Omnis quippe homo, qui diligit proximum, tenetur primo dolere, quod omnes illi, qui sunt redempti sanguine Iesu Christi, non rependunt Deo dileccionem. **25** Secundo dolendum est, quod Sancta Ecclesia, sponsa Dei, non stat in sua laudabili dispositione. Tercio, quod paucissimi sunt, qui passionem Christi recordantur cum amaritudine et caritate. Quarto attendere debet, ne proximus suus corrumpatur aliquo exemplo suo prauo. **26** Quinto dare proximo suo bona sua hylariter et orare pro eo Deum, ut in omni bono proficiat et perficiatur. Clauis vero coniungentes laminas sunt verba diuina. **27** Nam homo caritatiuus, ubi viderit proximum tribulatum, debet eum consolari verbis caritatiuis, impugnatum vero contra iusticiam defendere, infirmos visitare, captiuos redimere, pauperes non erubescere, veritatem semper amare, caritati Dei nichil preponere et a iusticia

numquam deuiare. **28** Hac igitur thorace ego fui indutus, qui infirmus fui cum infirmis, qui in conspectu regum et principum non erubui veritatem loqui et pro salute proximi mori paratus fui.”

29 Deinde apparuit Mater Dei et dixit militi: ”Quid,” inquit, ”fili, adhuc deest tibi?” Et ille: ”Domina mea, caput,” inquit, ”non habet galeam.” Tunc Mater misericordie dixit ad angelum custodem anime eius: ”Quid,” inquit, ”profuit anime istius militis custodia tua aut quid habes presentare Domino nostro?” **30** Respondit angelus: ”Habeo aliqua, licet modica sint. Nam quandoque iste miles fecit elemosinam et legit aliquas oraciones ex caritate Dei, quandoque eciam dimisit voluntatem propriam propter Deum rogans Deum sinceriter, ut ei vilesceret mundus et Deus fieret ei super omnia carus.” **31** Respondit Mater: ”Bonum est aliqua apportare. Ergo volumus facere sicut bonus aurifaber facit, qui facit aliquod opus grande de auro: si necessitatur et deficit in auro, petit auxilium ab amicis habentibus. Quem omnes habentes aurum iuuant, ut perficiatur opus eius. **32** Qui vero facit opus luteum, quis dabit ei de auro suo, cum indignum sit aurum misceri luto? Ergo omnes sancti diuites auro promerebunt tibi mecum galeam, quam habiturus es. Ista autem galea est voluntas placendi soli Deo. **33** Sicut enim galea defendit caput a iaculis et ictibus, sic voluntas bona et sola ad Deum defendit animam, ne temptationes dyabolice preualeant contra eam, et Deum in animam introducit. **34** Hanc habuit ille bonus Georgius et Mauricius et plures alii, ymmo eciam latro pendens in cruce; sine qua nemo fundamentum bonum iaciet nec perueniet ad coronam. In hac quoque galea debent esse duo foramina ante oculos, quibus preuideantur adueniencia. **35** Que sunt discrecio faciendorum et caucio omittendorum, quia sine discrecione et premeditacione multa sunt in fine mala, que in principio videntur bona.”

36 Iterum loquitur Dei Mater ad militem: ”Quid adhuc tibi deest, fili?” Et ille respondit: ”Manus,” inquit, ”mee nude sunt et non habent armaturam.” **37** Cui Mater: ”Ego,” inquit, ”iuuabo, ut manus non sint nude. Ergo sicut due sunt manus carnis, sic due sunt manus spirituales. Dexteram autem manus, qua tenendus est gladius, significat opus iusticie, in qua debent esse quinque virtutes quasi quinque digiti. **38** Prima est, ut omnis iustus primo sit iustus sibi ipsi, cauendo scilicet, ne quid in locucione seu operatione aut exemplo [aliquid] appareat, quod proximum possit offendere, ne quod ex iusticia reprehendit vel docet in aliis destruat moribus inordinatis. **39** Secunda virtus est non facere iusticiam seu iusticie opera propter fauorem hominum seu propter cupiditatem mundi sed amore solius Dei. Tercia est non timere aliquem contra iusticiam nec dissimulare propter amicitiam nec flecti a iusticia pro paupere vel diuite, amico seu inimico. **40** Quarta est libenter eciam velle pro iusticia mori. Quinta est non solum facere iusticiam sed eciam sapienter diligere iusticiam, ut et in omni iusticia sit misericordia et seueritas et ut aliter corrigatur qui minus peccat et aliter qui grauius, aliter eciam qui peccat ex ignorancia et aliter qui peccat ex industria seu malignitate. **41** Quicumque autem istos quinque digitos habuerit, cauere debet, ne gladium exacuet in impaciencia, ne delectacio humana hebetet, ne improuidencia excuciet, ne leuitas animi denigret.

42 Sinistra vero manus est oracio diuina, que eciam quinque digitos habet. Primus est firmiter credere articulis fidei deitatis et humanitatis omniaque operando: credere que Sancta Ecclesia, sponsa Dei, confitetur. **43** Secundus est nolle scienter peccare contra Deum et velle commissa omnia contricione et satisfaccione emendare. Tercius digitus est orare Deum, ut amor carnis conuertatur in amorem spiritualem. **44** Quartus est non ad aliud viuere in mundo, nisi ut Deo faciat honorem et ut minuat peccata. Quintus digitus est nichil de se ipso presumere sed semper timere Deum et mortem omni hora expectare. Ecce, fili, hee sunt due armature manus, quas habere debes, **45** dextera scilicet, qua vibrandus est gladius iusticie contra transgressores iusticie, sinistra vero oracionis, qua petendum est auxilium a Deo, ut numquam confidas de tua iusticia nec insolescas contra Deum tuum.”

46 Iterum apparuit virgo Maria et dixit militi: "Quid adhuc tibi deest, fili?" Respondit ille: "Armatura," inquit, "pedum." Et illa: "Audi," inquit, "miles olim mundi sed iam meus. **47** Omnia, quecumque sunt in celo et in terra, creavit Deus, sed inter omnia dignior et pulchrior creatura est anima, que similis est in ymaginacionibus suis voluntati bone. **48** Sicut enim de arbore multi procedunt palmites, sic de anime spirituali exercitacione et operacione omnis perfeccio virtutum procedit. **49** Ergo ut obtineatur spiritualis armatura pedum, voluntas bona mediante gracia Dei debet esse inicium, in qua debet esse duplex consideracio tamquam duo pedes super bases aureas. **50** Primus itaque pes anime perfecte est consideracio talis, scilicet quod nollet peccare contra Deum eciam si non sequeretur pena. Secundus pes est bona opera facere, eciam si sciret se dampnandum, propter magnam pacienciam et caritatem Dei. **51** Genua vero anime sunt hylaritas et fortitudo bone voluntatis. Sicut enim genua incuruantur et flectuntur ad usum pedum, sic voluntas anime flecti et refrenari debet secundum racionem ad velle Dei.

52 Scriptum enim est, quod spiritus et caro sibi ad inuicem aduersantur. Ideo et Paulus dicit: 'Non quod volo bonum, hoc ago,' quasi diceret: 'Quedam bona volo secundum animam sed non preualeo propter infirmitatem carnis. Sed et si quandoque potero facere sed non cum hylaritate, quid ergo?' **53** Numquid ideo priuabatur apostolus mercede, quia voluit et non potuit? Aut quia fecit bona sed non cum hylaritate? Nequaquam. Sed magis augebatur ei corona dupliciter. Primo quia ab exteriori homine erat ei laboriosa operacio propter carnem reluctantem bono; secundo ab homine interiori, quia non semper erat ei consolacio spiritualis. **54** Et ideo multi seculares laborant temporaliter sed non pro hiis coronantur, quia laborant motu carnis. Qui quidem labor si esset preceptum Dei, nequaquam sic feruerent in laborando. **55** Isti itaque duo pedes anime, scilicet nolle peccare contra Deum et velle bona opera facere, eciam si sequeretur dampnacio, armandi sunt duplici armatura, scilicet discreto usu temporalium et discreto desiderio ad celestia appetenda. **56** Discretus autem usus temporalium est habere bona ad suam moderatam sustentacionem et non ad superfluitatem. Discretum vero desiderium celestium est celestia bonis operibus et labore velle promereri. **57** Homo quippe per ingratitude et desidiu auersus est a Deo et ideo per labores et humilitatem ad Deum redeundum est. Ergo, fili, quia ista non habuisti, rogemus sanctos martires et confessores, qui talibus diuiciis habundabant, quod tibi auxilientur."

58 Tunc statim innumerabiles sancti apparentes dixerunt: "O, Domina benedicta, tu portasti Dominum vite et tu Domina omnium es. Quid est, quod non poteris? Quod enim tu vis, hoc factum est. Voluntas enim tua semper est nostra. Tu merito Mater caritatis es, quia omnes visitas caritate."

59 Iterum apparuit Mater et dixit militi: "Fili, adhuc clipeus deficit nobis. Itaque ad clipeum duo pertinent, scilicet fortitudo et signum domini, sub quo militat. **60** Ergo clipeus spiritualis significat consideracionem amare passionis Christi Filii mei, que debet esse in sinistro brachio iuxta cor, ut, quociens animum delectat voluptas carnis, considerentur liuores Iesu Christi. **61** Quociens vero pungit et contristat animum despectio et aduersitas mundi, rememorentur paupertas et obprobria Christi. Quociens eciam delectat honor et longa vita carnis, recogitetur amara mors et passio Christi.

62 Talis itaque clipeus debet habere fortitudinem perseuerancie in bono et latitudinem caritatis. Signum vero clipei debet esse de duobus coloribus, quia nichil clarius et longius prospicitur quam quod de duobus coloribus fulgentibus est compactum. **63** Duo autem colores, quibus clipeus consideracionis passionis diuine decoratur, sunt continencia affectionum inordinatarum et puritas et refrenacio motuum carnis. **64** Hiis enim duobus illustratur celum, et angeli videntes congratulando gaudent dicentes: 'Ecce signum puritatis et societatis nostre. Ideo adiuuare tenemur militem istum.' **65** Demones vero videntes militem talibus signis clipei decoratum clamabant: 'Quid faciemus, o socii? Iste enim miles terribilis est in

congressionem, decorus in armis. **66** In lateribus eius sunt arma virtutum, in tergo castra angelorum, a sinistris vigilantissimum habet custodem, scilicet Deum, in circuitu plenus est oculis, quibus inspicit maliciam nostram. Impugnare quidem eum possumus sed in confusionem nostram, quia nequaquam preualemus.’ **67** O, quam felix est talis miles, quem angeli honorant et cuius timore demones contremiscunt! Verum, fili, quia istum clipeum nondum obtinuisti, rogemus sanctos angelos puritate spirituali nitentes, ut te iuuent.”

68 Iterum adhuc loquitur Dei Mater dicens: ”Fili, adhuc deficit nobis gladius. Itaque ad gladium duo pertinent: primo quod habeat duas acies, secundo quod sit bene exacuatus. **69** Gladius ergo spiritualis est confidentia in Deo ad preliandum pro iusticia. Hec autem confidentia duas debet habere acies, scilicet rectitudinem iusticie in prosperis tamquam a dexteris et graciaram accionem in aduersis tamquam a sinistris. **70** Talem gladium habuit ille bonus Iob, qui in prosperis obtulit pro filiis, qui pater erat pauperum, et ostium eius patuit viatori; qui in vanitate non ambulauit nec concupiuit aliena sed timuit Deum sicut homo sedens super fluctus maris. **71** Habuit quoque graciaram accionem in aduersis, quando perditis filiis et bonis, quando conuiciatus ab uxore et percussus ulcere pessimo sustinuit pacienter dicens: ’Dominus dedit, Dominus abstulit; sit ipse benedictus.’ **72** Hic quoque gladius debet esse bene exacuatus conterendo impugnantes iusticiam ut Moyses et Daud, habendo zelum legis ut Phinees, loquendo constanter ut Helyas et Iohannes. **73** O, quam multorum gladius nunc nimis hebetatus est, qui, si loquuntur verbo, digito non mouent; querentes amiciciam hominum et gloriam Dei non attendunt. Ergo, quia gladium talem non habuisti, rogemus patriarchas et prophetas, qui talem confidentiam habuerunt, et dabitur nobis confidenter.”

74 Iterum apparuit Mater Dei dicens militi: ”Adhuc, fili, necessarium est tibi coopertorium super arma, quo arma defendantur a rubigine et ne a pluua maculentur. Hoc autem coopertorium est caritas, velle mori pro Deo. **75** Et eciam si possibile esset sine Dei offensa separari a Deo pro salute fratrum, hec caritas operit omnia peccata, conseruat virtutes, mitigat iram Dei, omnia facit possibile, deterret demonia, gaudium est angelorum. **76** Hoc vero operimentum debet esse intus album et ab extra fulgens quasi aurum, quia ubi zelus diuini amoris est, ibi utraque mundicia non est neglecta. Hac itaque caritate habundabant apostoli et ideo rogandi sunt, ut tibi auxilientur.”

77 Iterum apparuit Dei Mater dicens: ”Adhuc, fili, necessarius est tibi equus et sella. Itaque per equum spiritualiter intelligitur baptisma. **78** Sicut enim equus prouehit hominem ad aliquam viam perficiendam, habens quatuor pedes, sic baptisma, quod per equum intelligitur, prouehit hominem ante conspectum Dei habens quatuor effectus spirituales. **79** Primus est, quod baptizati liberantur a dyabolo et obligantur ad mandata et seruicia Dei. Secundus est, quod purgantur a peccato originali. Tercius est, quod filii Dei efficiuntur et coheredes Dei. Quartus est, quod celum eis aperitur.

80 Sed heu multi sunt qui, cum ad annos discrecionis veniunt, imponunt equo baptismatis frenum et abducunt eum per viam falsam. **81** Tunc quippe via baptismatis recta est et tenetur recte, quando homo infra annos discrecionis instruitur et conseruatur in bonis moribus, et quando homo peruenit ad annos discrecionis et cogitat sodule, quid in fonte baptismatis promissum est, et tenet fidem et caritatem Dei iniolam. **82** Sed tunc abducitur a via recta et imponitur frenum, quando mundus et caro preponuntur Deo.

83 Sella vero equi, id est baptismi est effectus amare passionis et mortis Iesu Christi Filii mei, per quem baptismus obtinuit effectum apercionis glorie. Quid enim est aqua nisi elementum? Postquam vero effusus

est sanguis Dei, venit ad elementum verbum Dei et virtus effusi sanguinis Dei. **84** Et sic aqua baptismi per verbum Dei facta est reconciliatio hominis et Dei, porta misericordie, expulsio demonum, via celi et venia peccatorum. **85** Ergo qui in virtute baptismi gloriari voluerit, cogitet primo amaritudinem institutionis baptismalis effectus, ut, cum mens humana contra Deum intumuerit, cogitet, quam amare redemptus sit, quociens etiam votum baptismi transgressus est, quid pro tanta reciduatione promeretur.

86 Item, ut homo firmiter in sella baptismalis effectus sedeat, necessarie sunt due strigiles, scilicet duplex consideratio in oratione. **87** Primo enim orare debet Deum taliter: 'O, Domine Deus omnipotens, benedictus sis tu, quia me creasti et redemisti. Et cum dampnatione dignus essem, in peccatis tolerasti et ad penitentiam reduxisti. **88** Recognosco, Domine, coram maiestate tua omnia, que dedisti michi ad salutem, inutiliter et dampnabiliter me expendisse, videlicet tempus penitencie mee in vanitatibus, corpus in superfluitatibus, gratiam baptismi in superbiis. **89** Et omnia dilexi plus quam te, creatorem et redemptorem et nutritorem et conseruatorem meum. Et ideo misericordiam tuam peto, quia miser sum ex me. **90** Et quia non agnoui benignam pacienciam tuam in me, non timui horrendam equitatem tuam, non attendebam, quid tibi pro innumerabilibus bonis tuis responderem, sed contra de die in diem te malis meis prouocabam. **91** Propterea, Domine, non habeo nisi unicum verbum ad te, scilicet: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam!'

92 Item secunda oratio sit talis: 'O, Domine Deus omnipotens, tu scis omnia me habere a te et sine te nichil esse nec posse nisi solummodo hoc, quod ego ipsemet feci, scilicet peccatum. **93** Ideo deprecor humiliter pietatem tuam, ut non secundum peccata mea facias michi sed secundum magnam misericordiam tuam. Et mitte michi Spiritum tuum Sanctum, qui illuminet cor meum et confirmet in viam mandatorum tuorum, ut in hiis que te inspirante cognoui perseuerare valeam nullisque temptationibus a te separari.' **94** Ergo, fili, quia ista deficiunt tibi, rogemus illos qui passionem Dei amarius fixerunt in corde suo, ut tibi tribuant de caritate sua."

95 Quibus dictis quasi apparuit unus equus paratus cum ornamentis deauratis. Et tunc respondit Mater Dei: "Iste," inquit, "ornatus equi significat dona Spiritus Sancti, que in baptismo largiuntur. **96** In baptismo quippe, siue per bonum siue per malum ministretur ministrum, remittitur paternum delictum, augetur gracia, dimittitur quodcumque peccatum, datur Spiritus Sanctus in pignus, angeli in custodiam et celum in hereditatem.

97 Ecce, fili, hec sunt ornamenta spiritualis militis, quibus qui indutus fuerit accipiet stipendium illud indicibile, quo emitur delectabile perpetuum, honor quietissimus, eternalis habundancia, vita sine fine."

Christus narrat beneficia, que fecit et facit militibus, et conqueritur de ipsorum ingratitude et docet reges unam nouam formam sibi gratam procreandi milites ad defensionem et ampliacionem fidei et Sancte

Ecclesie. Capitulum XXXV.

1 "Ego sum cum Patre et Spiritu Sancto unus Deus. [11] Dixi tibi prius de milicia, que michi quondam gratissima fuit, quod vinculo caritatis michi colligata fuit. **2** [12] Nam voto suo obligabant se milites dare carnem suam pro carne mea, sanguinem suum pro sanguine meo. Ideo et ego consensi in eos et coniunxi eos michi in unum vinculum et in unam societatem. **3** [13] Sed nunc conqueror super ipsos milites, qui tenerentur et deberent esse mei, quod auersi sunt. **4** [14] Ego quippe sum creator eorum et redemptor, ego

et auxiliator. **5** [15] Ego creavi eis corpus et membra. Ego omnia, que in mundo sunt, ad utilitatem eorum feci. **6** [16] Ego redemi eos sanguine meo. Ego emi eis hereditatem eternam passione mea. **7** [17] Ego in omnibus periculis defendo eos. **8** [18] Ego do eis fortitudinem ad agendum et laborandum. Nunc autem ipsi auersi sunt a me, ducunt pro nichilo passionem meam, obliuiscuntur et negligunt verba mea, quibus anime eorum delectari et pasci deberent. **9** [19] Contempnunt me eligentes animo et toto affectu carnem suam dare et lacerare pro laude hominum, sanguinem suum fundere propter explecionem cupiditatis sue, libenter mori propter mundana et verba dyabolica et inania. **10** [20] Adhuc tamen, licet sic auersi sunt, misericordia mea et iusticia est in eis. Nam per misericordiam custodio eos, ne tradantur dyabolo. **11** [21] Per iusticiam tolero eos pacienter. Et si adhuc reuerti voluerint, ego gaudenter suscipio eos et occurro eis letanter.

12 [22] Dic ergo illi, qui miliciam suam ad me conuertere vellet, quod sub hac forma michi denuo placere posset. **13** [23] Quicumque enim miles fieri vellet, deberet cum equo et apparatu suo ad cimiterium ecclesie procedere et ibi eum relinquere, quia equus non est creatus ad superbiam hominum sed ad vite utilitatem et defensionem et ad inimicorum Dei expugnationem. **14** [24] Deinde assumat mantellum, cuius ligatura ponenda est super frontem, ut, sicut dyaconus assumit stolam in signum obediencie et paciencie diuine, sic ipse miles assumit mantellum et ligaturam ponit super frontem in signum professe milicie et obediencie pro crucis mee defensione assumenda. **15** [25] Quem militem precedat vexillum potestatis secularis, ut sciat se potestati mundane in omnibus que non sunt contra Deum debere obedire. **16** [26] Ingresso autem eo cimiterium clerici occurrant ei cum vexillo Ecclesie, in quo depicta sit passio mea et vulnera mea in signum, quod Ecclesiam Dei et fidem defendere debet et prelati eius eciam obtemperare. **17** [27] Cum autem ingreditur ecclesiam, vexillum temporalis potestatis foras ecclesiam remaneat et vexillum meum precedat eum in ecclesiam in signum, quod diuina potestas precedit secularem et quod de spiritualibus plus est curandum quam de temporalibus. **18** [28] Dicta vero missa usque ad Agnus Dei, tunc rex vel ille dominus secularis procedat ad militem circa altare et dicat: 'Vis tu fieri miles?' **19** [29] Quo respondente 'Volo' subiungat: 'Promitte,' inquit, 'Deo et michi te fidem Sancte Ecclesie defendere et prelati eius in omnibus, que Dei sunt, obedire.' **20** [30] Quo respondente 'Promitto' tradat gladium in manibus eius et dicat: 'Ecce trado tibi gladium in manus tuas, ut non parcas vite tue pro fide et Ecclesia Dei, ut inimicos Dei deprimas et ut amicos Dei defendas.' **21** [31] Postea committat clipeum et dicat: 'Ecce do tibi clipeum, ut defendas te contra inimicos Dei, ut viduis et orphanis tribuas auxilium et ut honorem Dei in omnibus augmentes.' **22** [32] Postea vero manum imponat collo eius dicens: 'Ecce obediencie subiectus es et potestati. Vide ergo, ut sicut ligasti te professione, sic impleas et opere.' **23** [33] Post hec autem mantellum adaptet sibi et ligaturam, ut cotidie habeat in memoria, quid Deo vouit et quid ad Ecclesie et fidei defensionem plus quam alii se professione in facie Ecclesie obligauit.

24 [34] Hiis ergo peractis et dicto Agnus Dei sacerdos, qui missam celebrat, tradat sibi corpus meum, ut fidem Sancte Ecclesie defendat. **25** [35] Ego ero in eo et ipse in me. Ego ministrabo ei auxilium et robur et incendam eum flamma caritatis mee, ut nichil velit nisi me, nichil timeat nisi me, Deum suum. **26** [36] Quod si forte fuerit in campo et ibi pro honore meo et fide mea defendenda sumpserit miliciam, nichilominus ei prodest, si intencio fuerit recta. **27** [37] Ego denique in omni loco sum per potenciam meam et omnes michi in intencione recta et voluntate bona placere possunt. **28** [38] Ego autem sum caritas, et nullus ad me venire potest nisi qui habeat caritatem. Et ideo nullis precipio hoc facere, quod dictum est, quia tunc seruirent michi ex timore. **29** [39] Sed quicumque vellent sic assumere miliciam, ut dictum est, michi placere possent. Dignum quippe esset ut, sicut per superbiam a vera professione milicie excessum est, sic per humilitatem ad vere milicie cultum se reuerti velle ostenderent."

Christus, verus imperator et rex, benigne et humiliter ut pater et frater et dominus monet milites, quod reuertantur ad eum, narrando penas quas passus est pro eis et promittendo illis in stipendium, si reuertantur, quinque premia gloriosa celestia. Capitulum XXXVI.

1 ”Ego sum verus Rex et nullus est dignus vocari rex nisi ego. A me est omnis potestas. [31] Nunc ego, quia iustus et misericors sum, moneo eos qui dicuntur milites, ut querant misericordiam meam, ne inueniat eos iusticia mea, que est stabilis sicut mons, ardens quasi ignis, horribilis quasi tonitruum, subita quasi archus extensus ad sagittandum. **2** [32] Ego moneo eos tripliciter. Primo sicut pater filios, ut reuertantur ad me, quia ego Pater et creator eorum sum. Reuertantur, et dabo eis patrimonium, quod paterno iure debetur eis. **3** [33] Reuertantur, quia licet contemptus sum, attamen cum gaudio suscipiam eos et occurram eis cum caritate. **4** [34] Secundo rogo eos sicut frater, ut recordentur vulnere et operum meorum. Reuertantur ad me, et suscipiam eos sicut frater. **5** [35] Tercio rogo ut dominus, ut reuertantur ad me Dominum suum, cui dederunt fidem, cui ad obsequium tenentur et iuramento se obligauerunt.

6 [36] Ergo, o milites, reuertimini ad me, Patrem vestrum, qui cum caritate educaui vos. Considerate me, fratrem vestrum, pro vobis et vobiscum factum similem. **7** [37] Reuertimini ad me, pium Dominum: inhonestas quippe magna est alii domino dare fidem et alii obsequium. **8** [38] Vos enim michi dedistis fidem, quod defenderetis fidem catholicam et ecclesiam meam, quod miseris subueniretis. **9** [39] Et ecce inimico meo datis obsequium! Deponitis eciam vexillum meum et vexillum inimici erigitis. **10** [40] Ergo, o milites, redite ad me cum vera humilitate, qui a me per superbiam discessistis. Si enim durum vobis videtur aliquid pro me pati, considerate, quid ego feci pro vobis.

11 [41] Ego iui propter vos sanguinolentis pedibus ad crucem. Ego habui propter vos manus et pedes perforatos. Ego nulli membro meo peperci pro vobis, et tamen hoc totum negligitis recedendo a me. **12** [42] Redite ergo, et dabo vobis in auxilium tria. Primo fortitudinem contra inimicos corporales. **13** [43] Secundo magnanimitatem, qua nichil nisi me timebitis, qua delectabile videbitur vobis pro me laborare. **14** [44] Tercio dabo sapienciam, qua intelligetis veram fidem et Dei voluntatem.

15 [45] Ergo redite et state viriliter. Ego enim, qui moneo vos, sum ille cui angeli seruiunt, qui patres vestros obediens liberaui, inobediens vero iudicaui et superbos humiliaui. **16** [46] Ego fui primus in bello, primus in passione. Sequimini ergo me, ne sicut cera ab igne dissoluamini. **17** [47] Cur rescinditis promissionem vestram, cur iuramentum contempnitis? **18** [48] Numquid ego minor et indignior sum amico vestro temporali? Cui, si datis fidem, soluitis, michi autem, datori vite et honoris, conseruatori sanitatis, non redditis promissum. **19** [49] Propterea, boni milites, soluite promissum, et si non sufficitis opere, saltem conemini voluntate. Ego enim compaciens seruituti vestre, qua dyabolus opprimit vos, voluntatem recipiam pro opere. **20** [50] Si vero reditis ad me cum caritate, laborate pro fide Ecclesie mee, et ego cum omni exercitu meo sicut pius pater occurram vobis et dabo vobis pro premio quinque bona. **21** [51] Primo honor eternus numquam recedet de auditu vestro. **22** [52] Secundo facies et gloria Dei numquam recedet a visione vestra. **23** [53] Tercio laus Dei numquam recedet de ore vestro. **24** [54] Quarto anima vestra habebit omnia, que desiderabit, et nichil aliud desiderabit nisi quod habet. **25** [55] Quinto numquam separabimini a me Deo vestro sed sine fine durabit gaudium et sine fine in gaudio viuet vita vestra.

26 [56] Ecce, o milites, talis erit retribucio vestra, si fidem meam defenditis et pro honore meo plus quam pro vestro laboratis. **27** [57] Recordemini, si intellectus est vobis, quod ego paciens in vos sum et quod infertis michi talem contumeliam, qualem vos ipsi a vestris non vultis pati. **28** [58] Sed licet ego omnia ex

potencia mea possum et licet iusticia clamat super vos vindictam, adhuc tamen misericordia mea, que est in sapientia et bonitate, parcat vobis. **29** [59] Propterea querite misericordiam. Ex caritate enim prebeo ea, ad que rogari humiliter deberem.”

Christus ostendit hic, quam gloriose boni et iusti milites recipiuntur ad celestem gloriam, per exemplum unius anime boni militis defuncti, cui occurrebant angeli cum iubilo et tota trinitas cum gaudio mirifico.

Capitulum XXXVII.

1 Imperator Christus loquitur ad sponsam dicens: ”Dixi tibi prius de fine et pena militis, qui primo recessit a militia michi professa. **2** Nunc ergo dico tibi per similitudinem, quia aliter spiritualia non posses intelligere, de gloria et honore illius, qui viriliter miliciam veram primo incepit et viriliter consumavit. **3** Iste amicus meus, cum venit ad finem vite sue et anima de corpore exiret, statim quinque legiones angelorum mittebantur in occursum eius. **4** Inter quos venerunt innumerabiles demones, ut aliquid sui iuris inuenirent contra animam illam, quia pleni malicia sunt et ab ea nunquam cessant.

5 Tunc autem una vox clare et lucide sonuit in celo dicens: ’Numquid non est iste, o Domine Pater, qui se ad voluntatem tuam alligavit et eam perfecte complevit?’ **6** Et tunc ipsa anima personaliter respondit in intelligencia et consciencia sua: ’Vere ego sum.’ **7** Deinde statim tres voces audiebantur, una ex parte deitatis dicens ad animam: ’Numquid non ego te creavi et dedi tibi corpus et animam?’ **8** Tu igitur es filius meus et voluntatem Patris tui fecisti. Veni ergo nunc ad me, potentissimum creatorem tuum et dulcissimum patrem! **9** Tibi enim debetur eterna hereditas, quia filius es. Tibi debetur hereditas Patris, quia ei obedisti. **10** Veni ergo, dulcissime, ad me, et ego recipiam te cum leticia et honore.’ **11** Secunda vox audiebatur ex parte humanitatis dicens: ’Fratr mi, veni ad me, fratrem tuum. Ego enim obtuli me pro te in bellum, ego fudi sanguinem meum pro te. **12** Veni ergo ad me, quia secutus fuisti voluntatem meam. Veni ad me, quia rependisti sanguinem pro sanguine, qui paratus fuisti dare mortem pro morte et vitam pro vita. **13** Ideo tu, qui sequebaris me in vita tua, veni nunc in vitam meam et gaudium meum, quod non finietur. Veraciter enim confiteor te fratrem meum.’ **14** Tercia vox audiebatur ex parte Spiritus Sancti, qui non tres dii sed unus, dicens: ’Veni,’ inquit, ’miles meus, qui fuisti sic desiderabilis intus, quod concupiui habitare tecum. **15** Tu enim sic fuisti virilis extra, quod dignus eras, ut ego defenderem te. **16** Et ideo pro corporis tui inquietudine intra in requiem! Pro mentis tue tribulatione ingredi in consolacionem ineffabilem! Pro caritate tua et virili decertacione intra in meipsum, et ego habitabo in te et tu in me. **17** Veni ergo, egregie miles, ad me, qui nichil desiderasti nisi me. Veni et repleberis diuina dulcedine.’

18 Post hec autem quinque legiones angelorum quasi quinque vocibus sonuerunt. **19** Prima loquebatur dicens: ’Precedamus istum egregium militem et portemus ante eum arma sua et presentemus Deo nostro fidem suam, quam inconcussam conseruavit et ab inimicis iusticie defensavit.’ **20** Secunda vox ait: ’Feramus ante eum clipeum suum et demonstremus Deo nostro pacienciam suam, que, quamuis Deo nostro nota sit, tamen gloriosior erit ex nostro testimonio. **21** Per pacienciam enim non solum aduersa sustinuit pacienter sed et pro aduersis gracias Deo referebat.’ **22** Tercia vox ait: ’Precedamus eum et presentemus conspectui Dei nostri gladium eius et demonstremus obedienciam eius, qua in duris et leuibus iuxta modum professionis sue obediuit.’ **23** Quarta vox angelorum ait: ’Venite, ostendamus Deo equum istius militis et testimonium perhibeamus humilitatis eius. **24** Sicut enim equus portat corpus hominis, sic humilitas eius precedens eum et subsequens ad omne opus bonum ferebat eum. **25** Nichil quippe in eo inuenit superbia

suum, et ideo secure equitabat.’ **26** Quinta vox ait: ‘Venite et presentemus Deo nostro galeam eius et testimonium demus de diuino desiderio eius, quod habuit ad Deum. **27** Ipse denique omni hora meditabatur eum in corde, ipsum habebat in ore, ipsum in operibus, ipsum super omnia desiderabat et **28** pro eius amore et honore exhibuit se mortuum mundo. Ergo presentemus hec Deo nostro, quia dignus est iste pro modico labore habere eternam quietem et cum Domino suo letari, quem tantum et tociens desiderabat.’

29 Cum talibus enim vocibus et mirabili choro angelorum ferebatur amicus meus in requiem perpetuam. **30** Que videns anima exultans intime ait: ‘Felix ego, quod umquam creata fui! Felix ego, quia Deo meo seruiui, quem nunc video! Felix ego, quia gaudium habeo et gloriam, que non finietur!’

31 Ecce, taliter amicus meus venit ad me et tali premio remuneratus est. **32** Et quamuis non omnes effuderint sanguinem pro nomine meo, nichilominus tamen eandem mercedem habebunt, si habent voluntatem dare vitam suam pro me, tempore se sic offerente et necessitate fidei ingruente. **33** Ecce quantum voluntas bona facit!”

Christus precipit regibus, quod extirpent de regno suo phitones et sortilegos et diuinatores, qui arte dyabolica decipiunt animas et homagiant se dyabolo propter lucra temporalia. Capitulum XXXVIII.

1 Miles quidam de regno Swecie consuluit phitonem, utrum homines illius regni deberent rebellare contra regem vel non. Et sic euenit, sicut phitonissa dixerat. **2** Quod factum milite narrante regi presente Christi sponsa statim ipsa, cum diuertisset a rege, audiuit in spiritu vocem Christi dicentem sibi: **3** ”Audisti, quomodo miles consuluit phitonem et quomodo predixit futuram pacem. Ideo dic regi, quod hec fiunt ex permissione mea propter malam fidem populi. **4** Nam dyabolus ex subtilitate nature sue multa futura cognoscere potest, que, ut decipiat credentes sibi et infideles michi, innotescit consulentibus. **5** Propterea dic regi, quod tales homines extirpentur a consorcio fidelium, quia tales deceptores sunt animarum. Quia propter lucrum temporale dant et homagiant se dyabolo, ut plures decipiantur. **6** Nec mirum. Quia quando homo plus desiderat scire, quam Deus vult eum scire, et ditari affectat contra velle Dei, tunc demon temptans mentem eius et videns eam inclinatum infusionibus suis mittit adiutores suos, scilicet phitones et alios aduersarios fidei, quibus decipiatur. **7** Et cum modicum temporale consequitur, perdit, quod est eternum.”

Christus dicit hic regibus, quod qui volunt passagium facere et guerram contra paganos debent hoc facere intencione recta, scilicet propter caritatem Dei et animarum salutem, corrigendo se prius et reformando regnum suum. Capitulum XXXIX.

1 Rex quidam Suecie rogauit sponsam Christi, quod consuleret Deum, si placeret ei, quod iret in exercitu contra paganos, quia habebat in voto. Super quo sponsa orante apparuit ei Christus dicens: **2** ”Si rex exire voluerit ad paganos, consulo – non precipio, quia maius meritum est facere secundum consilium quam ex precepto. Ideo consulo ei duo. **3** Primo, quod habeat cor bonum et corpus aptum. Cor scilicet bonum, ut nulla sit intencio alia exeundi nisi propter caritatem Dei et salutem animarum. Corpus vero aptum, ut scilicet racionabilis sit in ieiunio et labore. **4** Secundo laboret, quod vasallos et milites habeat voluntarios et

correctos. Ideo circueat primo regnum suum inquirendo, quomodo iusticia seruata est, qualiter et per quos facta sunt iudicia et regimina. **5** Quia qui alios conatur mittere in celum necesse est, ut incipiat a seipso, corrigendo errores proprios et post hec subditos ammonendo et corripiendo et virtuosus exemplis incitando.”

Christus dicit, quod reges procedere volentes contra infideles primo ammoneant eos, quod conuertantur cum benignitate et pace; quod si renuerint infideles, tunc zelus et manus exercende sunt contra eos.

Capitulum XL.

1 Christus loquebatur sponse dicens: ”Dicitur, quod nemo inuitus compelli debet ad regnum celorum. Respondeo, quod ubi flores boni impediuntur a zizania, numquid non est melius, quod succidantur zizanie, ne flores ascendentes impediuntur? **2** Propterea, qui vadunt ad terras infidelium, offerant primo eis pacem et fidem et libertatem. Et si infideles non recipiunt consilia eorum et ammoniciones, tunc zelus et manus sunt exercenda. **3** Omnes enim, qui pro caritate mortui fuerint, ego Deus ipsa caritas reddam eis centuplum. Et eciam ipsi infideles ad minora supplicia peruenient, quam si diucius viuerent et in pace morerentur. Quia si amplius viuerent, amplius peccarent. **4** Tantum enim bonum est caritas, quod nec minima cogitacio erit sine remuneracione, quanto magis opus bonum.”

Collocucio inter Deum et sponsam de rege et iure hereditario regis in regno et utrum rex possit aliqua alienare pertinencia ad coronam, et que et qualiter possit alienata repetere et rehabere. Capitulum XLI.

1 Loquebatur sponsa ad Christum orando pro regno Swecie inter alia dicens: ”Domine,” inquit, ”ne indigneris si quero: Audiui ex scriptura, quod nichil acquirendum est cum iniusticia nec tenendum est aliquid acquisitum contra iusticiam. **2** Nunc autem rex iste habet terram, quam quidam dicunt habere eum ex iusticia, alii vero respondent contrarium. Et ideo mirum est, si in isto hoc toleras, quod in aliis reprobatur.”

3 Respondit Deus: ”Post diluuium nulli homines remanserunt nisi illi qui erant in archa Noe; et ex eis una progenies nata est, que venit ad orientem, de qua eciam quidam venerunt in Sweciam. **4** Et alia generacio venit ad occidentem, de qua quidam exorti venerunt in Daciam. Sed qui primo ceperunt colere terram non circumuallatam aqua nichil appropriabant sibi de terra eorum qui habitabant ultra aquas et in insulis, **5** sed unusquisque contentabatur de eo quod inuenerat, sicut scriptum est de Loth et Abraham: ’Si,’ inquit, ’tu ad dexteram vadis, ego sinistram tenebo,’ quasi diceret: ’Quidquid tu tibi approprias, hoc erit tuum et heredum tuorum.’ **6** Deinde procedente tempore venerunt iudices et reges, qui contenti terminis suis non occupabant terram eorum, qui in insulis et ultra aquam habitabant, sed stabat unusquisque in terminis et limitibus antiquorum.”

7 Respondit sponsa: ”Quid si pars aliqua regni donacione aliqua alienaretur a regno, numquid a successore non repetendum esset?” **8** Cui Deus: ”In regno quodam,” inquit, ”seruabatur corona pertinens ad regem. Populus itaque regni considerans se non posse stare sine rege elegerunt sibi regem, tradentes coronam regi electo custodiendam et reassignandam regi futuro. **9** Si igitur iste rex sic electus aliquam partem de

corona alienare vel minuere vellet, certe rex futurus repetere posset et deberet, quia nulla diminutio debet esse in corona, **10** nec rex diminuere vel alienare potest coronam regni, nisi forte rationabili causa ad dies suos. Quid enim est corona regni nisi potestas regalis? Quid vero regnum nisi populus ei subiectus? **11** Quid vero rex nisi mediator et conseruator regni et populi? Ergo conseruator et defensor corone nequaquam dimidiare vel minuere debet coronam in preiudicium futuri regis.”

12 Respondit sponsa: ”Quid si rex ex necessitate vel violencia cogereetur alienare partem corone?” **13** Cui Deus: ”Si,” inquit, ”duo homines essent discordantes, alterque potencior nollet dare gratiam, nisi abscideretur digitus alterius, cuius enim esset digitus abscisus nisi eius qui dampnum passus est? **14** Sic est eciam de regno. Si rex aliquis propter necessitatem vel captiuitatem diminueret partem aliquam de regno, certe rex futurus repetere potest, quia rex non est dominus corone sed rector, nec necessitas facit legem.”

15 Respondit illa: ”Quid si rex alicui domino concessisset ad dies suos partem aliquam corone, et mortuo rege dominus ille et successores sui detinerent illa concessa tamquam propria, numquid repetenda essent?” **16** Cui Dominus: ”Utique terra illa redire debet ad legitimum dominum, id est ad illum regem, heredem predecessoris regis concedentis”.

17 Respondit illa: ”Quid si pars corone impignerata esset alicui propter debita, illoque leuatis et perceptis fructibus multis annis mortuo terra postea venit in manus alterius, **18** qui nullum ius haberet ad terram, ex eo quod nec concessa ei fuisset nec pignerata, sed occasione quadam occupasset illam nec dimittere vellet nisi accepta pecunia, quid in tali casu faciendum esset?” **19** Cui Dominus: ”Si,” inquit, ”aliquis haberet globum aureum in manu et diceret astanti: ’Globus,’ inquit, ’iste tuus est; si rehabere intendis, da michi tot libras,’ **20** certe dari sibi deberent tot libre, quia ubi potestatiue aliqua terra occupata est et pacifice possessa, sapienter repetenda est et computatis dampnis reducenda. **21** Nunc autem sicut rex electus, eleuatus super lapidem quendam ad spectaculum populi, designat dominium se habere et possessionem eciam in superioribus partibus regni, **22** ita eciam terra ista in partibus inferioribus et iure hereditario et empicione et redempcione pertinet ad regnum. Ideo rex obtenta conseruet, ne forte, si aliter fecerit, et dominium perdet et sub corona reducetur.”

23 Iterum loquebatur sponsa ad Dominum. ”O, Domine,” inquit, ”ne indigneris, si adhuc quero semel. Iste rex habet duos filios et duo regna. In altero regno eligitur rex iure hereditario, in altero vero secundum fauorem populi. **24** Nunc autem contrarium factum est: nam filius iunior assumptus est in regnum hereditarium, maior vero in regnum quod per electionem debetur.” **25** Respondit Deus: ”In electoribus eorum tria erant inconueniencia et quartum superexcellit: inordinatus amor, prudentia simulata, adulacio stultorum et diffidencia de Deo et communitate regni. **26** Et ideo electio eorum fuit contra iusticiam, contra Deum et contra bonum rei publice et utilitatem communitatis et populi regni. **27** Propterea ad prouidendum paci et consulendum utilitati communitatis populorum regni necesse est, quod senior filius recipiat regnum hereditarium, iunior vero ad electionem veniat. **28** Alioquin, nisi retractentur priora facta, regnum pacietur dispendium, communitas regni affligetur, discordia orietur, dies filiorum erunt in amaritudine **29** et regna eorum iam non erunt regna sed sicut scriptum est: ’Potentes transmigrabunt a sedibus suis et qui ambulabant in terris eleuabuntur.’

30 Ecce dico tibi exemplum de duobus regnis; in uno est electio, in alio vero est hereditas. Primum, ubi electio est, destructum et afflictum est, quia verus heres non eligebatur; et hoc fecerunt partes eligencium et cupiditas ambientis regnum. **31** Ergo Deus non affligit filium pro peccatis patris nec in eternum irascitur,

sed iusticiam facit et seruat in terris et in celis. **32** Ideo regnum illud non veniet ad priorem gloriam et feliciorum statum, donec verus heres consurgat aut ex paterna successione aut ex materna.”

Christus per exemplum conqueritur grauitate de Christianis et ideo, conuertens se ad infideles et paganos, precipit seruis suis et amicis suis, quod vadant ad conuertendum eos cum caritate beniuola, verbis dulcibus

hic contentis. Capitulum XLII.

1 Christus loquebatur sponse dicens: ”Ego sum similis regi, qui stabat in campo, ad cuius dexteram stabant amici et ad sinistram inimici. Quibus stantibus vox una cuiusdam clamantis venit ad dexteram, ubi omnes bene armati stabant. **2** Galeas habebant ligatas et facies conuersas ad dominum. Clamabat autem vox sic: ’Vertite vos ad me et credite michi. Ego enim habeo aurum dare vobis.’ **3** Qui audientes verterunt se ad eum. Quibus versis dixit vox secundo: ’Si volueritis videre aurum, soluite galeas vestras et, si possidere desideratis, ego iterum ligabo galeas vestras ad voluntatem meam.’ **4** Quibus fauentibus ei ligauit galeas eorum ex transuerso ita, quod anteriora et foramina, per que videre debebant, erant in occipite, et posteriora galee obumbrabant oculos, ne viderent. Et sic ille clamans ’Cecos!’ duxit eos post se. **5** Quibus gestis nunciauerunt quidam amici regis domino suo regi, quod homines sui ab inimicis essent supplantati. Qui ait ad amicos suos: **6** ’Exite inter eos et clamate sic: Soluite galeas vestras et videte, quod decepti estis. Conuertimini ad me et ego recipiam vos in pace!’ **7** Qui noluerunt audire sed habuerunt pro derisu.

8 Quod serui audientes nunciauerunt hoc domino suo, qui ait: ’Ergo, quia ipsi contempserunt me, procedite cito ad sinistram partem et dicite eis qui ad sinistram stant hec tria: Via que ducit vos ad vitam parata est vobis, porta aperta est et dominus personaliter cum pace vult occurrere vobis. **9** Ergo credite firmiter viam esse paratam, sperate stabiliter portam esse apertam et verba eius esse vera. Occurrite cum caritate domino, et ipse cum caritate et pace suscipiet vos et ducet in perpetuam pacem.’ **10** Qui audientes verba nunciorum crediderunt et suscepti sunt in pace.

11 Ego sum ille rex, qui Christianos habui ad dexteram, quia eis eternum bonum preparaui, quorum ligate tunc galee et facies ad me verse erant, quando voluntatem perfectam habuerunt facere voluntatem meam, obedire mandatis meis, et desiderium totum erat ad celum. **12** Tandem vox dyaboli, id est superbia, sonuit in mundo; que ostendebat mundi diuicias et carnalem voluptatem; ad quam tunc se verterunt, cum affectum et assensum superbie dederunt; **13** pro qua et tunc galeas deposuerunt, cum affectum opere compleuerunt et temporalia spiritualibus preposuerunt. **14** Depositis ergo galeis diuine voluntatis et armis virtutum, tantum nunc superbia preualuit in eis et tantum eos sibi obligauit, quod libenter usque in finem volunt peccare; et libenter in eternum vellent viuere, ut in eternum possent peccare. **15** Que etiam sic obumbravit eos, quod foramina galearum, per que videre deberent, stant in occipite et in fronte tenebre sunt. **16** Que enim sunt foramina galearum nisi consideratio futurorum et prouida circumspectio presencium? **17** Per primum foramen deberent considerare premia eterna, quam delectabilia sunt, et futura supplicia, quam horribilia, ac Dei iudicia, quam terribilia. **18** Per secundum vero foramen deberent considerare, que essent precepta a Deo et que prohibita et quantum excederent a mandatis Dei et quomodo emendarent. **19** Sed hec foramina iam stant in occipite, ubi nichil videtur, quia consideratio celestium tradita est obliuioni, amor Dei refriguit, amor autem mundi tam suauiter consideratur et amplectitur, quod eos ducit tamquam rotam bene unctam ad quecumque velit. **20** Verumptamen amici mei, videntes dehonestacionem meam, animarum casum et dyaboli dominium, cotidie pro eis ad me precibus suis clamant. **21** Quorum preces penetrauerunt

celum et intrauerunt aures meas. Et ego flexus precibus eorum misi eis cotidie predicatorum meos, ostendi signa et multiplicauit eis gratiam meam. Sed ipsi omnia spernentes peccata peccatis addiderunt.

22 Propterea dicam nunc seruis meis et in veritate complebo: Procedite, serui mei, ad sinistram id est ad paganos, qui tamquam ad sinistram id est in contemptu usque nunc fuerunt, procedite, inquam, et dicite sic eis: **23** Dominus celi et creator omnium facit vobis dici: 'Via celi aperta est vobis. Habete voluntatem intrandi cum firma fide! Porta celi stat vobis aperta: sperate firmiter et intrabitis in eam! **24** Rex celi et dominus angelorum vult personaliter occurrere vobis et dare pacem et perpetuam benedictionem. Occurrite ei et suscipite eum cum fide eius, quam vobis ostendit, qua via celi preparatur. **25** Suscipite eum cum spe, qua speratis. Cum ipse habeat iam velle dare vobis celum, diligite eum toto corde et opere complete et ingrediemini portas Dei, a quibus Christiani, qui eas ingredi nolunt et se indignos per opera sua faciunt, repellentur.'

26 In veritate mea dico vobis, quod complebo verba mea et non dimittam, suscipiam vos in filios et ero vobis in patrem, quem Christiani contemptibiliter contempserunt. **27** Vos ergo, amici mei qui estis in mundo, procedite securi et clamate. Annunciate eis voluntatem meam et iuuate, ut possint complere. Ego enim ero in corde et in ore vestro. Ego ero dux vester in vita et conseruator in morte. **28** Non relinquam vos. Procedite audacter, quia ex labore crescit gloria. Omnia enim possem in uno puncto et verbo sed volo, quod ex certamine crescat vobis merces et ex virilitate vestra crescat honor meus. **29** Nec miremini quod loquor. Nam si sapientissimus in mundo posset considerare, quot anime descendunt cotidie in infernum, plures essent quam arena maris dinumerata et lapilli riparum. **30** Hec enim est iusticia, quia se a Deo et Domino suo separauerunt. Propterea ut minuatur numerus dyaboli, sciatur periculum et impleatur exercitus meus. Loquor, si forte audierint et respiscant."

Christus instruit reges, quod, quando vadunt ad paganos, habeant duo vexilla, scilicet passionis et iusticie Dei, et quod deferant secum clericos et religiosos diuersorum ordinum, litteratos et virtuosos et deuotos.

Capitulum XLIII.

1 Filius Dei loquitur sponse dicens: "Rex, qui lucra animarum querit et ad paganos egredi voluerit, habeat duo vexilla. In primo vexillo depicta sit passio mea, que notat misericordiam, in secundo gladius iusticie mee. **2** Veniens igitur rex ad paganos erigat primo primum vexillum misericordie, offerendo pacem eis. Qui si recipere noluerint, erigat postea vexillum iusticie. **3** Et confidens de bonitate mea non timeat multitudinem inimicorum nec retrocedat ex pusillanimitate nec audiat vocem dicentium: 'Reuertamur! Quid ultra est laborandum?' **4** Si enim rex stabiliter timuerit procedere, non attemptet nec incipiat bonum, quia melius est non assumere ardua quam inchoata non prosequi cum caritate. **5** Assumat etiam rex secum clericos probate vite et religiosos diuersorum ordinum, qui veraciter contempnunt mundum. Quia multi sunt in paganismo et inter gentiles, qui preferunt sectas suas, quibus sapienter est respondendum. **6** Clerici etiam instruant populum et ammoneant, ne propter cupiditatem incurrant anathema, ne propter murmuracionem et vitam incontinentem moriantur."

Christus reprehendit quendam regem, quia cum immoderata multitudine gentium ibat contra infideles, non habita prius matura providencia futurorum euentuum; et reprehendit illos qui victorias preliorum attribuunt sibi et non Deo. Capitulum XLIII.

1 Loquebatur Christus ad sponsam de quodam rege Swecie dicens: "Dixi tibi prius, quod puer est iste rex, et hoc ex duobus poteris intelligere: primo ex regimine suo, secundo ex exercitu suo innumerabili. Numquid non pastor Daud vicit gygantem? *2* Sed quomodo? Numquid potencia et sapiencia? Non utique, sed virtute diuina. Nisi enim Deus infatuasset audaciam gygantis et animasset mentem pueri Daud, quomodo puer aggressus fuisset gygantem? *3* Et quomodo lapis prostrauisset tam fortem et attingisset tam doctum, nisi in lapide fuisset virtus Dei? Ideo faciliter vincit, qui Deum habet cooperatorem, nec ei, qui Deo perfecte innititur, opus est multa corporis fortitudine, sed fide et caritate. *4* Temporales enim homines fortitudine sua corporali vincere se arbitrantur et exitum pugne ponunt in hominis industria et, cum victores extiterint, plus ascribunt et attribuunt industrie hominis quam virtuti Dei, quamuis nec boni nec mali sine permissione Dei et iusticia victores sunt. *5* Nam quandoque boni prosperantur super malos et econtrario mali super bonos permissione occulta Dei. *6* Et quia pacienciam et iusticiam Dei pauci homines propter uniuersalem negligenciam considerare volunt, ideo virtus Dei dehonatur et homo quasi potens et faciens victorias sua virtute laudatur et exaltatur.

7 Nec sine causa dixi, quod puer est iste rex. Nam puer cum videt duo poma, aliud quod totum deauratum est exterius et intus totum vacuum et corruptum, aliud vero quod exterius minus est pulchrum sed intus recentissimum, puer magis eligit pomum, quod exterius est pulchrum et intus corruptum, quia nescit considerare nisi illa, que exterius videt. *8* Sic iste rex fecit. Pulchrum denique sibi videbatur procedere cum magno exercitu, sed nesciebat nec considerabat, que miseria latebat intus. Non attendebat, quanta fames et dolor sequeretur et quod vasalli sui miseri fame egredierentur et miserabiliores reuerterentur. *9* Vile vero et fatuum videtur cum paucis procedere exercitu, sed magna latet intus utilitas. Ideo, si ipse sic vadat, scilicet cum humilitate et paucis exercitu, ego implebo conscienciam et intellectum eius diuina sapiencia, ego corpus eius fortificabo diuina fortitudine. *10* Nam ego possum facere fortem de infirmo, sublimem de humili et honorabilem de abiecto. Igitur dic ei, quod non vereatur sed ponat spem suam in me et faciat cum diuina sapiencia et humana premeditatione, que potest. Et sic, ubi sapiencia humana deficiet, caritas et voluntas bona eum excusabit."

Mater Dei consulit regi eunti contra paganos, quod habeat numerum gentium prefinitum et quod non confidat de promissionibus sibi diuinitus factis, si ipse non seruauerit que promiserat Deo. Capitulum XLV.

1 Mater Dei loquebatur sponse dicens: "Si rex exierit contra paganos, habeat numerum populi prefinitum, quia ego scio egressum et regressum eius et quod multi vadunt, qui non minus rebelles erunt Deo quam illi, qui cum Moyse egressi sunt. *2* Sed sicut Moyses non introduxit populum in terram promissam propter eorum ingratitude, sic illi qui nondum nati sunt perficient velle Dei. *3* Nec confidat rex, quia dixi eum filium meum et quod numquam separare me vellem ab eo, quia si ipse seruauerit promissum suum michi, seruabo et ego promissum meum sibi. Sed si ipse contempserit me, timeat, ne contempnatur."

Virgo Maria precipit per sponsam cuidam episcopo eunti cum rege ad guerram contra infideles, quod quando aliqua patria infidelium acquisita fuerit, instituat statim ecclesiam cathedralem, ubi Christiani spiritualiter consolentur. Capitulum XLVI.

1 Regina celi loquebatur sponse dicens: "Sanctus Sigfridus archiepiscopus exiit de Anglia et fecit voluntatem Dei in regno Swecie. **2** Sic iste episcopus, pro quo tu oras, qui vadit cum rege contra infideles, cum venerit ad paganos et fuerint aliquae terre ipsorum acquisite per Christianos, constituat primo ecclesiam cathedralem in aliquo loco honesto et congruo, ut tamquam ad matrem possint Christiani pro necessitatibus anime ad eam habere refugium et inde catholice refici et spiritualiter consolari. **3** Et si non potest episcopus nisi unum vel duos clericos ibi instituere et sustentare secum, contentus sit, quia Filius meus potens est augere dona sua et episcopatum dilatare. **4** Si vero ipse vel alii amici mei moriantur, antequam perficiantur verba ista, tunc voluntas bona reputabitur eis pro opere et mercedem habebunt inde. **5** Et ideo nullus confidat de longa vita, sed unusquisque expectet velle Dei pacienter."

Mater Dei narrat, quomodo ipsa est vas repletum et replens gracia, et reprehendit quendam ingratum regem Swecie, qui, nolens in guerra sua obedire consiliis Dei et spiritualium virorum, contra Dei voluntatem retrocessit de guerra infidelium consilio mundanorum hominum cum confusione sua et regni dispendio. Capitulum XLVII.

1 Regina celi apparuit sponse dicens ei: "Audi tu, que spiritualia vides, et veni mecum in Spiritus Sancti collocutionem. Ego sum vas repletum et repletium. **2** Sicut enim vas stans subtus torrentem repletur aqua et sicut aqua effluit, tamen vas semper est repletum de torrentis decursu, sic anima mea, quando creata fuit et coniuncta corpori, replebatur ex decursu torrentis scilicet Spiritus Sancti, quo numquam postea euacuata est. **3** Propterea quicumque venerit ad me cum humilitate et mundo corde habebit auxilium de Spiritu Sancto. Itaque bene possum vocari vas repletum, **4** quia cum essem in mundo in decursu torrentis eius, Filius Dei venit in corpus meum et sumpta de me carne et sanguine moratus est in me, donec natus est de me ea natiuitate, qua nasci decuit Filium Dei. **5** Natus ergo et veniens in manus meas, angeli gauisi sunt et nunciauerunt pacem in terris. Post hec autem Filius meus cecidit grauiter in penam mortis, quando cutis eius rumpebatur a flagellis, ossa constringebantur a clauis et quando cor crepuit mortuis omnibus membris. **6** Itaque iste casus mortis tam magnus fuit, quod ex eo minuebatur potestas dyaboli et porte celi aperiebantur. Ergo passionem Filii mei comparo tonitruo, cuius aduentus prius auditur et longe post, quam sonus venit. **7** Sic passio Filii mei diu ante nunciabatur per ora prophetarum, antequam venit. Postquam vero Filius meus mortuus est, tunc maximus fragor et sonus factus est, qui diu post passionem eius audiebatur et predicabatur. Et pro ea multi gaudenter dederunt vitam suam. **8** Nunc autem Filius meus sic oblitus et neglectus est, quod quidam ducunt mortem eius pro nichilo. Alii dicunt se nescire, utrum fuerit vel non. Alii sciunt sed non curant. Pauci vero sunt, qui mortem eius recordantur cum caritate.

9 Itaque, ut passio Filii mei reduceretur ad memoriam, ideo verba Dei tibi diuinitus data venerunt in mundum. **10** Propterea et tu missa es ad regem istum Swecie, qui irretitus multis peccatorum laqueis, postquam separatus fuit a dyabolo, suscepi eum michi in filium, desiderans eum facere pugnatorem egregium ad honorem Dei. **11** Quod videns dyabolus inuidit ei sicut quondam Moysi proiecto in aquam,

cuius fiscellam Deus direxit ad terram. **12** Qui postea, licet adustus fuerit in lingua, tamen loquebatur que voluit Deus. Et fugiens ex timore de Egipto rediit ex diuina prouidencia ad Pharaonem. Simili modo fecit regi dyabolus. **13** Iactauit enim in cor eius procellam quandam, ut congregata multitudine hominum a guerra retrocederet pre paupertate et fame. Et ideo constituebatur ei certus numerus personarum.

14 Item rex suggerente dyabolo cogitauit sic: 'Amici,' inquit, 'Dei non habent scienciam pugnandi, ideo inquiram homines doctos ad pugnam.' Cui postea dyabolus misit multos de suis, quorum consilio regeretur. Propterea ostensum erat regi, quorum consiliis obediret. **15** Consultum eciam fuit regi, quod clerici et religiosi approbate vite sequerentur eum, et hoc factum fuit ex prouidencia Spiritus Sancti contra astuciam dyaboli. **16** Ipse quippe bene scit, quod non est longum tempus, quo Deus ostendere velit, quomodo sua pugna aggredienda est. Scit eciam dyabolus multos in paganismo esse, qui se magnos in sua secta reputant; nec ignorat, quod multi sunt, qui desiderant scire fidem sanctam catholicam. **17** Propterea desiderat dyabolus, ut tempore gracie adueniente illi mitterentur ad paganos, qui essent ydiote et pleni auaricia. Ergo amici Dei clerici et religiosi parati esse debent cum spirituali sapiencia paganis venientibus cum sua secta respondere. **18** Multa eciam alia dicta sunt tibi, que non statim perficientur. Sed verba custodiri debent ad tempus prefinitum. Nam plura ostendit Deus Moysi, que non completa sunt una hora. **19** Sic et Daud longo tempore ostensus fuit rex, antequam peruenit ad potestatem. Et ideo amici Dei expectent sapienter et non attedientur in operando.

20 Diximus eciam, quod fratres ordinis Dominici et Francisci et Bernardite exirent cum rege ad paganos, quia illi tres ordines ad paganismum primo sunt vocandi, quia monasteria per illos inchoari debent, qui veraciter contempnunt mundum et qui non habent aliam voluntatem nisi honorare Deum et eius amicitiam inuenire. **21** Verum quidam de dictis fratribus cogitant sic: 'Ubi,' inquit, 'est populus cui predicandum est, ubi loca sunt edificanda?' **22** Similiter dixit Israel Moysi: 'Ubi,' inquit, 'est terra promissa? Melius enim fuisset sedisse in Egipto super ollas carniuum quam in deserto periclitari fame et tribulacione.' **23** Attamen peruenit Israel tempore placito in terram promissam, licet aliqui murmurabant. Ergo rex habeat secum semper clericos deuotos et tales, qui sequantur eum voluntarie ex diuina caritate. Et caueat habere clericos cupidos, sicut aues rapaces.

24 Sed audi iam, quid ego Mater misericordie dictura sum: Ille rex, quem ego prius vocaui filium meum, nunc iam factus est filius inobediencie. Cui existenti puero custodiebantur duo regna. **25** Qui, cum ad annos discrecionis venisset, regebat iniuste et omnia agebat sine discrecione. Attamen Deus pacienter semper agens cum eo, eciam spiritualia bona fecit cum eo, quando caritatem cordis sui vertit ad Deum. **26** Insuper tria reduco ei ad memoriam, que Deus fecit ei. Sepe enim contingit, quod infans in utero matris ita fortiter cum matre ligatus est, quod nullo modo separare se potest ab eo. Quod obstetrix prudens perpendens cogitat secum dicens: **27** 'Si infans ulterius morabitur in utero matris, moriuntur ambo. Si vero separabuntur ab inuicem, mortua quidem matre viuere potest infans.' Et sic obstetrix procedens separat infantem a matre. **28** Simili modo rex iste alligatus erat matri sue, scilicet mundo. Qui, si diucius in eo stetisset, utique mortuus fuisset ad penam inferni. Ego vero regina celi iui ad regem, separans eum ab amore mundi. **29** Per gressum autem, quo iui ad regem, intelligo introitum Spiritus Sancti in cor eius. **30** Quia ubicumque ingreditur spiritus Dei, ibi intrat Pater cum Spiritu Sancto et Filius cum Patre et Spiritu et Mater cum Filio. Quia omnis homo qui habet Deum in corde suo habet et me. **31** Nam sicut impossibile est, quod tres persone in trinitate separari possint, sic impossibile est stante lege currente, quod ego, que sum Mater Dei, separari possim a Deo. **32** Ego quippe habui Filium Dei in me cum deitate et humanitate. Ideo Deus Pater habet me in deitate sua et est vinculum dileccionis nostre, Spiritus Sanctus ille, qui est in Patre et Filio, et ipse eciam est in me et numquam possumus separari. **33** Isto ergo modo, quando ego iui ad

regem, Deus dedit cordi eius contricionem et oculis eius lacrimas spirituales, que nullus obtinere potest nisi ex diuina gracia eius. **34** Secundo reduco regi ad memoriam, qualis gracia facta est in regno eius. Nam Filius meus, qui sedet in summo throno maiestatis excelse, loquitur frequenter tibi, que es nata de regno eius, et hanc graciam ego promerui regi, ut faceret honorem Deo et fructum anime sue. **35** Cui eciam per te ostendi, quomodo regnum suum regeret sapienter et populum sui regni caritatiue diligeret et qualiter vitam suam gubernaret corporaliter et spiritualiter ad honorem Dei. **36** Tercio reduco ei ad memoriam, quomodo electus est, ut fidem sanctam catholicam deferret, si vellet, ad paganismum.

Sed audi nunc, quid fecit iste rex. **37** Ego enim Mater misericordie vocaui istum regem filium meum nouum. Et ideo nouum, quia nouiter venerat ad obedienciam sanctam. **38** Cui promisi per te, quod vellem esse domina et defensatrix exercitus sui et regni sui et quod starem ante eum in terra inimicorum eius. Et ita factum est. **39** Nam pax erat in terra sua ex diuina prouidencia propter preces meas. Et ante ipsum fui in terra inimicorum eius, quando maiores inimicos eius congregaui in unum locum terre, quos ei traditura eram. **40** Paruo igitur tempore elapso accesserunt ad regem istum instrumenta dyaboli plena corde malo et maligno spiritu. **41** Qui confidebant in manibus hominum plus quam in auxilio creatoris; quorum cupiditas maior fuit ad possessiones terrenas quam ad adiuuandum animas; **42** quorum linguas ille excitauit ad loquendum, qui mouit linguam Iude ad vendendum creatorem suum; quorum dentes eleuabantur digitis dyaboli; quorum frigida labia perlinita fuerunt veneno dyaboli. **43** Propterea diuina caritas non sapuit eis, sed exspuentes verba veritatis falsitatem in ore habuerunt. **44** Quorum malignis consiliis obediens rex cucurrit et distraxit de manibus meis congregatos inimicos meos resistentes fidei sancte. Et tunc ego vacuo sinu remansi sola. **45** Ipse quoque rex fecit discurrere lupos, assignans agnos in manu serpentum, qui parati sunt diripere oues et maiori nunc veneno malicie sunt impleti.

46 Talia enim processerunt de dolosis suggestionibus dyaboli, quia contemptis consiliis amicorum Dei rex obediuit consiliis carnalium hominum et non attendens fortitudinem Dei nec cogitans consilium meum rediit sine aliquo fructu. Et grauauit communitatem et populum regni sui factus inobediens Deo et hominibus et violator promissionis milicie sue.

47 Sed sicut mater faciliter placari solet filio petenti misericordiam, sic ego nunc dico ei: Fili, conuertere ad me, et ego reuertar ad te! Surge de casu tuo secundum consilia amicorum Dei!

Hec igitur est ultima littera, quam ego mittam ei.”

Mater Dei declarat sponse, quare verba Dei ita obscure proferuntur, quod diuersimode interpretari possunt et quandoque aliter a Deo et aliter ab hominibus intelliguntur. Et qualiter tota trinitas ostendit se sponse mirabiliter sub forma pulpiti et libri aurei et trium radiorum trium colorum, declarans visionem sponse notabiliter de proprietate et essencia trinitatis et libri vite. Et qualiter videbat sponsa ante diuinum tribunal iudicis mirabile iudicium trium animarum regum, quorum unus erat viuens, et alter ad infernum alius vero ad purgatorium dampnabatur. Et sunt hic multa notabilia de laudabili iusticia et misericordia

Dei. Capitulum XLVIII.

1 Mater Dei loquitur ad sponsam dicens: "Filia, dixi tibi prius, quod illa esset ultima littera mea mittenda illi regi amico. Quod intelligendum est de hiis que tangunt personam eius singularem atque meam. *2* Si enim aliquis sedens audiret aliquid utile decantari, quod pertineret ad amicum, ut referret eidem (siue esset illud cantilena leticie siue littera reprehensionis salutaris) uterque esset dignus remuneracione, scilicet et qui dictabat et qui decantabat. *3* Sic eciam iusticia Dei, iudicans in equitate et iustificans in misericordia, decantare vult iusticiam et misericordiam. Ergo quicumque audire voluerit, audiat, quia non est littera reprehensionis sed cantilena iusticie et caritatis. *4* Quando enim olim mittebatur littera alicui, continebat reprehensionem et ammonicionem: arguebat de ingratitude beneficiorum et ammonebat de conuersione morum. *5* Sed nunc iusticia diuina decantat pulchram cantilenam, que pertinet ad omnes, quam qui audierit et credendo cum operatione receperit, inueniet fructum salutis et fructum eterne vite.

6 Sed poteris querere, quare verba Dei ita obscure dicuntur, quod diuersimode interpretari possunt et quandoque aliter a Deo et aliter ab hominibus intelliguntur. *7* Respondeo: Deus similis est confectori, qui conficit vinum ardens seu aquam ardentem, que de vino conficitur. *8* Ille enim confector habet plures fistulas, quasdam ascendentes, quasdam vero descendentes, per quas vinum nunc sursum nunc deorsum cooperante ignis calore decurrit, donec fit perfectum. *9* Sic Deus in verbis suis facit, quia quandoque ascendit per iusticiam, quandoque iterum descendit per misericordiam. Sicut patuit in rege, cui propheta ex iusticia dixit, quod moreretur, et tamen postea misericordia addidit ei plures annos ad viuendum. *10* Quandoque eciam descendit Deus per simplicem verborum prolacionem et corporalem expressionem. Sed ascendit iterum per spiritualem intelligenciam, sicut in Daud, cui multa dicta sunt sub nomine Salomonis, sed completa sunt sicut et intellecta in Filio Dei. *11* Quandoque eciam loquitur Deus de futuris quasi de preteritis et presencia simul tangit et futura, quia omnia sunt in Deo: et presencia et preterita et futura quasi unus punctus.

12 Nec mirari debes, si obscuris modis loquitur Deus, quia hec fiunt quintuplici de causa. Primo, ut ostendat Deus magnam misericordiam suam, ne quis audiens iusticiam Dei desperet de misericordia eius, quia quando homo mutat voluntatem peccandi, tunc eciam Deus mutat districcionem sentencie sue. *13* Secunda est, ut creduli iusticie et promissionum Dei amplius coronentur propter fidem et expectacionem. *14* Tercia ratio est, quia, si consilium Dei certo sciretur tempore, quidam propter prescitos contrarios casus multum turbarentur, alii ex tedio a desiderio et feruore suo desisterent. *15* Et ideo propter ista, quando alicui scribo aliqua verba, non exprimitur ibi in conclusione, utrum illa verba recipientur et credentur cum effectu ab eo vel non, nec eciam tibi declaratur hoc, an ille credet et perficiet opere illa an non, quia non licet tibi scire hoc. *16* Quarta causa est, ne aliquis presumat improbe discutere verba Dei. Ipse enim est, qui de sublimi facit humilem et de inimico facit amicum. *17* Quinta eciam est, ut, qui occasionem discernendi querit, inueniat et, qui sordescunt, sordescant adhuc boni quoque fiant manifestiores."

18 Item ait sponsa: Deinde Filius Dei loquebatur ad me dicens: "Si aliquis loqueretur per fistulam habentem tria foramina et diceret audienti: 'Numquam ex isto foramine audies vocem meam,' non esset arguendus, si postea loqueretur per duo reliqua foramina. *19* Sic eciam est nunc in locucione nostra. Nam licet Mater mea virgo dixerit, quod illa esset ultima littera mittenda regi, hoc intelligendum est de persona sua. *20* Sed nunc ego Deus, qui sum in Matre et Mater in me, mitto nuncium meum regi tam propter eos, qui nunc sunt presentes viui, quam propter eos, qui nondum sunt nati. Ab eterno itaque iusticia et misericordia in Deo sunt. *21* Nam ab eterno ista in Deo fuit iusticia, ut cum Deus ante luciferum plenus esset sapiencia et bonitate et pontencia, voluit, quod plures participarentur bonitatis eius. *22* Et ideo creauit angelos, quorum quidam attendentes pulchritudinem suam desiderabant esse supra Deum: propterea corruerunt et facti sunt sub pedibus Dei demones mali. *23* Et eciam in istis Deus quodammodo habet

misericordiam. Nam cum dyabolus ex iusticia et permissione Dei perficit malum, quod concupiscit, quasi quodammodo consolatur ex prosperitate malicie sue. **24** Non quod pena dyaboli minuatur ex hoc; sed sicut eger habens inimicum fortissimum consolatur de auditu mortis eius, licet dolor infirmitatis sue non minuatur ex auditu illo, sic dyabolus ex inuidia, qua ardet, Deo faciente iusticiam contra homines, exhylarescit et letatur et quasi sitis malicie sue refrigeratur et linitur.

25 Verum postea Deus, videns in exercitu suo diminucionem, creauit post presumptionem demonum hominem ad obediendum preceptis suis et ut fructificaret, donec tot homines ascenderent celum, quot angeli de celo ceciderunt. **26** Homo igitur perfectus creatus est, qui, cum accepisset mandatum vite, non attendit ad Deum nec ad honorem suum, sed consensuens suggestioni dyaboli preuaricatus est dicens: **27** 'Comedamus de ligno vite, et sciemus omnia sicut Deus.' Isti enim, scilicet Adam et Eua, noluerunt Deo malum sicut dyabolus, sed nec eciam voluerunt esse supra Deum, sed voluerunt esse sapientes sicut Deus. **28** Ideo ceciderunt, sed non sicut demon. Nam dyabolus inuidebat Deo, ideo non erit finis miserie eius. Homo vero, quia voluit aliud quam Deus voluit eum velle, ideo meruit et sustinuit iusticiam cum misericordia. **29** Tunc vero illi prothoplasti senserunt iusticiam, quando nuditatem obtinuerunt pro vestitu glorie, famem pro habundancia, pruritum carnis pro virginitate, timorem pro securitate, laborem pro quiete. **30** Qui eciam statim obtinuerunt misericordiam, scilicet vestitum contra nuditatem, cibum contra famem, securitatem coniunctionis mutue propter posteritatem generacionis augmentandam. **31** Nempe Adam honestissime vite fuit, qui numquam uxorem habuit nisi Euam, sed nec aliam mulierem nisi illam solam.

32 Item Deus eciam iusticiam et misericordiam habet in animalibus. Deus nempe fecit tria egregia. Primo angelos, qui spiritum habent sed non carnem, secundo hominem, qui habet animam et carnem, tercio animalia, que carnem habent sed non animam sicut homo. **33** Angelus ergo, quia spiritus est, Deo incessanter adheret, et ideo humano non indiget adiutorio. Homo vero, quia caro est, Deo incessanter adherere non potest, antequam mortale separatur a spiritu. **34** Et ideo, ut subsistat homo, creauit ei Deus in adiutorium animal irrationale, ut obediat et seruiat suo meliori. **35** Itaque in istis animalibus irrationalibus Deus magnam habet misericordiam, quia non habent pudorem de membris suis nec dolorem mortis, antequam mors veniat, simplici quoque victu contentantur.

36 Deinde, cum pertransisset diluuium, eciam Deus fecit iusticiam cum misericordia. Nam bene potuisset Deus introduxisse populum Israel in terram promissionis in breuiori tempore, sed iusticia fuit, quod vasa, que optimum potum tenere debebant, primo probarentur et purgarentur et deinde sanctificarentur. **37** Quibus eciam Deus magnam fecit misericordiam, quia uno homine scilicet Moyse orante peccatum eorum deletum fuit et diuina gracia data. Similiter et post incarnationem meam numquam iusticia sine misericordia nec misericordia sine iusticia exercetur."

38 Tunc autem vox una insonuit in altum dicens: "O, Mater misericordie, Mater eterni Regis, impetra misericordiam! Ad te quippe venerunt preces et lacrimae famuli tui regis. **39** Scimus enim, quod iusticia est, ut puniantur peccata eius, sed impetra misericordiam, ut conuertatur et agat penitentiam et faciat honorem Deo!" **40** Respondit spiritus: "In Deo quadruplex est iusticia. Prima est, ut ille, qui increatus est et eternaliter est, honoretur super omnia, quia ab ipso sunt omnia et in ipso viuunt et subsistunt universa. **41** Secunda iusticia est, ut ei, qui semper erat et est et qui tempore diffinito temporaliter natus est, seruiatur ab omnibus et ipse in omni puritate diligatur. **42** Tercia iusticia est, ut ille, qui est ex se impassibilis et ex humanitate factus est passibilis et qui mortalitate assumpta promeruit homini immortalitatem, desideretur super omnia, que desiderari possunt et que sunt desideranda. **43** Quarta iusticia est, ut qui instabiles sunt inquirant veram stabilitatem et qui in tenebris sunt desiderent lucem, id est Spiritum Sanctum, petendo

auxilium eius cum contricione et vera humilitate. **44** Sed de illo rege, seruo Matris Dei, pro quo nunc misericordia petitur, dicit iusticia, quod tempus non sufficit ei ad purgandum digne, secundum quod exigit iusticia, peccata illa que commisit contra misericordiam Dei; nec corpus eius sustinere posset penam quam meruit pro peccatis. **45** Verumptamen misericordia Matris Dei promeruit et impetrauit misericordiam pro eodem seruo suo, ut ipse audiat illa, que egerat, et quomodo se emendare poterit, si forte compungi voluerit et conuerti.”

46 Et statim in eodem puncto vidi in celo unam domum mire pulchritudinis et magnitudinis, et in domo erat pulpitem et in pulpito liber. Et vidi duos stantes ante pulpitem, scilicet angelum et dyabolum, quorum alter, scilicet dyabolus, loquebatur dicens: **47** ”Nomen meum est Heu. Iste itaque angelus et ego insequimur unam rem desiderabilem nobis, quia videmus, quod dominus potentissimus edificare proponit rem grandem. Et ideo laboramus, angelus ad rei perfeccionem, ego vero ad eius destruccionem. **48** Sed contingit nobis, quod, cum res illa desiderabilis venit aliquando in manus meas, tanti feruoris et caloris est, quod non valeo tenere eam; cum vero venit aliquando in manus angeli, ita frigida et lubrica est, quod statim relabatur de manibus eius.” **49** Et cum ego attente intuerer ad eundem pulpitem tota consideracione mentali, intellectus meus non sufficiebat capere sicut erat, nec eius pulchritudinem valuit comprehendere anima mea nec lingua exprimere. **50** Cuius pulpiti aspectus erat quasi radius solis, habens colorem rubeum et album et aureum fulgentem. Color vero aureus erat quasi sol fulgens, albus autem color erat quasi nix candidissima, rubeus quoque color erat quasi rosa rubens, et quilibet color videbatur in alio. **51** Nam cum aspicerem colorem aureum, videbam album et rubeum in eo. Et cum viderem album, videbam in eo reliquos duos colores. Et similiter erat, quando aspiciebam colorem rubeum, ita quod quilibet videbatur in alio et tamen quilibet erat discretus ab alio et per se. **52** Et nullus alio prior aut posterior, nullus alio minor aut maior, sed in omnibus et ubique equales videbantur. **53** Cumque aspicerem sursum, non valui comprehendere longitudinem et latitudinem pulpiti, respiciens vero deorsum, non valui videre et apprehendere immensitatem profundi eius, quia omnia erant incomprehensibilia ad considerandum. **54** Post hec autem in ipso pulpito vidi librum resplendentem quasi aurum fulgentissimum et habentem formam libri. **55** Qui quidem liber apertus erat et scriptura eius non erat scripta atramento sed unumquodque verbum in libro erat viuens et seipsum loquebatur, quasi si aliquis diceret: ”Fac hoc vel illud”, et statim cum prolacione verbi esset factum. **56** Scripturam quoque libri nullus legebat, sed quidquid continebat scriptura, hoc totum in pulpito et in illis coloribus videbatur.

57 Ante istud autem pulpitem vidi quendam regem viuentem in mundo. Ad sinistram vero partem pulpiti vidi alium regem mortuum, qui erat in inferno. Ad dexteram quoque pulpiti vidi tercium regem, qui erat in purgatorio. **58** Rex itaque supradictus viuens erat quasi in globo vitreo sedens coronatus. Supra globum vero dependebat unus gladius tricuspis horribilis appropinquans singulis momentis globo sicut perpendiculum in orologio ad suum signum. **59** Ad dexteram quoque eiusdem regis viuentis stabat angelus habens vas aureum et sinum, ad sinistram vero eius stabat dyabolus habens forcipem et malleum. **60** Qui ambo decertabant, cuius manus vicinior fieret globo vitreo, quando a gladio tangeretur et rumperetur. **61** Tunc autem audiui horribilem vocem illius dyaboli dicentem: ”Quousque,” inquit, ”erit istud? Ecce ambo nos insequimur predam unam sed ignoramus, quis nostrum erit victor.”

62 Et statim loquebatur michi iusticia diuina dicens: ”Ista,” inquit, ”que tibi ostenduntur, non corporalia sed spiritualia sunt. Nec angelus nec dyabolus corporales sunt sed hoc fit, quia tu spiritualia intelligere non vales nisi per similitudines corporales. **63** Rex itaque viuens ideo tibi apparet in globo vitreo, quia vita eius non est nisi quasi vitrum fragile et in puncto finitura. Gladius vero tricuspis mors est, que cum venit operatur tria. **64** Debilitat quippe corpus, immutat conscienciam, mortificat omnes vires, diuidens sicut

gladius animam a carne. Quod vero angelus et dyabolus certare videntur super globum vitreum significat, quod uterque eorum desiderat habere animam regis, que illi adiudicabitur, cuius consiliis magis obedierit. **65** Quod vero angelus habet vas et sinum significat, quod sicut puer quiescit in sinu matris, sic angelus laborat, ut anima presentetur Deo quasi in vase et in sinu eterne consolacionis requiescat. **66** Quod vero dyabolus forcipem habet et malleum significat, quod demon animam trahit ad se forcipe prae delectacionis dissoluitque eam malleo, id est consensu et perpetracione delictorum. **67** Quod vero globus vitreus quandoque nimis est ardens, quandoque satis lubricus et frigidus, significat inconstanciam regis. Nam rex in temptacione positus cogitat sic dicens intra se: **68** 'Licet ego sciam me Deum offendere, si nunc conceptum mentis mee adimpleo, tamen ista vice conceptum mentis mee opere adimplebo, quia pronunc ab hoc opere retrahere me nequeo.' Et sic scienter peccat in Deum suum. Propterea scienter peccans venit in manus dyaboli. **69** Deinde rex ipse assumens confessionem et contricionem iterum euadit manus dyaboli et venit in potestatem angeli boni. Et ideo, nisi rex dimiserit inconstanciam suam, periculose stat, quia debile habet fundamentum."

70 Post hec autem vidi ad sinistram partem pulpiti illum alium regem mortuum, qui dampnatus fuit ad infernum, vestitum vestibus regalibus et sedentem quasi in throno. Qui erat mortuus et pallidus et nimis terribilis. **71** Ante faciem vero eius erat quedam rota habens quatuor lineas in extremitate. Que quidem rota secundum flatum regis voluebatur, et quelibet linea vel ibat sursum vel deorsum secundum voluntatem regis, quia motus rote erat in potestate regis. **72** Tres quoque lineae illarum habebant scripturas, sed in quarta linea nichil omnino erat scriptum. Vidi eciam ad partem dexteram istius regis quendam angelum quasi hominem pulcherrimum, cuius manus erant vacuae sed ipse ad pulpitem seruiebat. **73** Ad sinistram vero partem regis apparebat unus dyabolus, cuius caput simile videbatur cani, venter eius erat insaciabilis et umbilicus apertus, ebulliens veneno colorato omnibus coloribus venenosis, et in quolibet pede habebat tres ungulas magnas, fortes et acutas.

74 Tunc autem unus splendidissimus quasi sol et ad intuendum pre fulgore mirabilis dixit michi: "Iste rex, quem tu vides, miserabilis est. Cuius consciencia modo aperietur tibi, qualis fuit in regno et in intencione, quando moriebatur. **75** Qualis vero consciencia eius fuit ante regnum, non est tuum scire. Verumptamen scias, quod anima eius non est ante oculos tuos sed consciencia eius. **76** Et quia anima et dyabolus non corporales sed spirituales sunt, ideo temptaciones dyabolice et supplicia per similitudines corporales ostenduntur tibi." **77** Et statim ille rex mortuus cepit loqui non de ore sed quasi de cerebro et dixit sic: **78** "O, consilarii mei, talis est intencio mea. Quidquid enim subest corone regni mei tenere et custodire volo. Laborare eciam volo, quod augeantur obtenta et non diminuantur. **79** Quali autem modo obtenta sunt, que teneo, quid ad me querere? Sufficit enim michi, si adepta defendere valeo et augere." **80** Et tunc dyabolus clamauit dicens: "Ecce perforatum est! Quid faciet uncinus meus?" Respondit tunc iusticia de libro, qui erat in pulpito, dicens dyabolo: "Impone foramini uncinum et attrahe tibi!" Et statim prolato verbo iusticie impositus fuit uncinus. **81** Sed illico in ipso momento venit ante regem malleus, scilicet misericordie, quo dictus rex excutere potuisset uncinum, si veritatem inquisisset de omnibus et fructuose mutasset voluntatem.

82 Iterum loquebatur idem rex dicens: "O, consilarii mei et homines mei, vos assumpsistis me in dominum et ego vos in consiliarios. **83** Ideo indico vobis hominem quendam esse in regno, qui proditor est honoris mei et vite, qui insidiator est regni et persecutor pacis et communitatis populorum regni. **84** Si ergo talis homo sustineatur et toleretur, dampnificabitur res publica, inualescet discordia et intestina mala adaugentur in regno. **85** Credebant enim michi docti et indocti, potentes et vulgus populi in predictis verbis, que eis loquebar, in tantum, quod homo ille, quem ego diffamaui de prodicione, obtinuit dampnum maximum et

pudorem, et sententia et exilium contra eum ferebatur. **86** Attamen bene sciebat consciencia mea, qualis erat rei veritas in isto negocio et quod multa contra hominem illum dixi propter ambicionem regni et propter timorem amissionis eius necnon et ut honor meus dilataretur et ut regnum michi et posteris meis firmiter adhereret. **87** Cogitavi etiam tecum: Licet ego sciam veritatem, quomodo acquisitum est regnum et quomodo ille iniuriatus est, **88** si tamen ipsum recepero iterum in gratiam meam et veritatem prodidero, omne obprobrium et dampnum redundabit in me. Et ideo firmaui in animo meo magis velle mori quam veritatem dicere et verba mea et opera iniusta reuocare.”

89 Respondit tunc dyabolus: ”O, iudex, ecce qualiter rex iste prebet michi linguam.” Respondit iusticia diuina: ”Impone laqueum!” **90** Quod cum fecisset dyabolus, statim imposito laqueo pendebat ante os regis ferrum acutissimum, quo potuisset, si voluisset, laqueum precipuisse et comminuisse.

91 Item loquebatur idem rex dicens: ”O, consilarii mei! Ego consului clericos et litteratos de statu regni, qui dicunt michi, quod, si assignarem regnum in manus aliorum, fierem multis in dampnum viteque et bonorum proditor, iusticie et legum violator. **92** Et ideo, ut regnum retineam michi illudque ab incursantibus defendam, oportet nos quedam noua excogitare, quia antiqui redditus fiscales non sufficiunt ad gubernandum et defendendum regnum. **93** Itaque excogitavi quasdam nouas impositiones tributorum et exactionum fraudulentas imponere in regno in dampnum multorum ciuium regni et etiam innocentum pertranseunium viatorum et mercatorum. **94** In quibus adiuuacionibus perseuerare proposui usque ad mortem, licet consciencia michi dixerit, quod ista erant contra Deum et omnem iusticiam et publicam honestatem.”

95 Et tunc clamauit dyabolus dicens: ”O, iudex, ecce ambas manus suas inclinauit iste rex sub vas meum aquaticum. Quid igitur facturus sum ego?” Respondit iusticia de libro: ”Effunde super eas venenum tuum.” **96** Et tunc effuso veneno a dyabolo statim venit ante regem unum vas unccionis, quo rex illud venenum bene potuisset restinxisse. Et tunc demon clamauit valenter dicens: **97** ”Ecce video mirabile michi imperscrutabile. Nam uncinus meus impositus est cordi istius regis et statim oblatus est ei malleus in sinum. **98** Laqueus quoque meus impositus est ori eius et ferrum acutissimum ei prebetur. Venenum etiam meum effusum est in manibus eius et offertur adhuc ei vas unccionis.” **99** Respondit iusticia de libro, qui erat in pulpito, dicens: ”Omnia tempus habent, et misericordia et iusticia obuiabunt sibi.”

100 Post hec autem loquebatur michi Mater Dei dicens: ”Veni, filia, et vide et audi, quid suggerit anime spiritus bonus, quidue malus. Nam omnis homo infusiones et visitaciones habet, quandoque a spiritu bono et quandoque a malo, nec est aliquis, qui non visitatur a Deo, quamdiu viuunt.”

101 Et statim iterum idem rex mortuus apparuit, cuius anime cum viueret spiritus bonus taliter inspirabat: ”O, amice, tu totis viribus obligaris seruire Deo, quia dedit tibi vitam, conscienciam, intellectum, sanitatem et honorem. Insuper tolerat te in peccatis tuis.” **102** Respondit consciencia regis per similitudinem loquendo: ”Verum est,” inquit, ”quod seruire teneor Deo, cuius potencia creatus et redemptus sum, cuius et misericordia uiuo et subsisto.” **103** Sed econtra spiritus malus suggerebat eidem regi: ”Frater,” inquit, ”consulo tibi consilium bonum. Facito enim sicut ille, qui purgare solet poma. Ille namque perispmata seu corticem pomi proicit, medullam vero et utiliora seruat sibi. **104** Similiter fac et tu. Deus enim humilis et misericors est, pociens et nullius egeus. Da ergo ei de bonis tuis illa, quibus commode carere poteris. Utiliora vero et concupiscibilia reserua tibi. **105** Facito etiam quodcumque delectat te ad carnem, quia faciliter emendari potest. Et quod te non delectat facere, licet tenearis facere, dimitte et loco illius tribue elemosinas, quia inde plures consolari possunt.” **106** Respondit consciencia regis: ”Istud,” inquit, ”est utile

consilium. Potero quidem aliqua dare de meis, de quibus nullum habeo dampnum, que tamen Deus reputat maxima. Cetera vero seruabo in usus proprios et ad acquirendum amiciciam multorum.”

107 Post hec autem iterum loquebatur angelus, qui regi datus fuerat ad custodiam, per inspiraciones dicens regi: ”O, amice, cogita, quod mortalis es et cito moriturus. **108** Cogita eciam, quod vita ista breuis est et Deus iudex iustus et paciens, qui examinat omnes cogitaciones tuas et locuciones et opera a principio intelligibilis etatis tue usque ad finem. Qui eciam omnes affectus et intenciones tuas iudicat et nichil dimittit indiscussum. **109** Et ideo utere tempore tuo et viribus tuis racionabiliter, rege membra tua ad utilitatem anime, viue modestus non faciendo voluptatem carnis in desideriis. Quia, qui secundum carnem viuunt et secundum voluntatem suam, non veniunt ad patriam Dei.”

110 Econtra vero suasit statim regi spiritus dyabolicus inspiracionibus suis: ”O, frater,” inquit, ”si de omnibus horis et momentis redditurus es Deo racionem, quando ergo gaudere debes? Sed audi consilium meum. **111** Deus misericors est et faciliter placatur. Non enim redemisset te, si te perdere vellet. Ideo dicit scriptura, quod omnia peccata dimittuntur per contricionem. **112** Fac ergo sicut quidam astutus fecit, qui soluturus erat cuidam creditori XX libras auri et non habens, unde redderet, venit ad amicum pro consilio. Qui consuluit ei sumere XX libras cupri et deaurare eas una libra auri, et sic deauratas soluere creditori. **113** Qui faciens iuxta consilium sibi datum soluit creditori illas XX libras cupri perlinitas auro et XIX libras auri puri retinuit sibi. Sic fac et tu. **114** XIX enim horas temporis dispone ad delectacionem et voluptatem tuam et ad gaudium tuum, et una tantum hora sufficit tibi ad contristandum et ad compungendum. Audacter ergo ante et post confessionem facito quod delectat te. **115** Quia sicut cuprum perlinitum auro totum apparuit aurum, sic opera peccati, que designantur in cupro, deaurata contricione delebuntur et omnia opera tua fulgebunt sicut aurum.” **116** Respondit tunc consciencia regis: ”Istud consilium videtur delectabile et racionabile, quia sic faciendo omnia tempora possum disponere ad gaudium meum.”

Item loquebatur angelus bonus regi inspiracionibus suis dicens: **117** ”O, amice, cogita primo, quali magisterio eduxit te Deus de angusto utero matris tue. Secundo cogita, quanta paciencia patitur te Deus viuere. Tercio cogita, quanta amaritudine redemit te de eterna morte.” **118** Sed econtra inspirabat dyabolus dicens regi: ”O, frater, si eduxit te Deus de angusto matris utero in latitudinem mundi, cogita eciam, quod educet te iterum de mundo per duram mortem. **119** Et si Deus patitur te diu viuere, cogita eciam, quod habes in vita ista multa incommoda et tribulaciones contra voluntatem tuam. Si Deus redemit te dura morte sua, quis compulit eum? Non enim tu rogasti eum.” **120** Tunc autem quasi loquendo respondit rex in consciencia sua intrinsecus: ”Verum,” inquit, ”est quod suggeris. Nam plus doleo, quod moriturus sum quam quod natus sum de utero matris. **121** Grauius est eciam michi ferre aduersitates mundi et contrarietates animi mei quam aliquid aliud. Vellem itaque, si daretur michi opcio, magis viuere in mundo absque tribulacione et in eius consolacione permanere quam separari a mundo. **122** Magis quoque optarem vitam habere perpetuam in mundo cum mundana felicitate quam quod Christus redemisset me suo proprio sanguine. Nec curarem esse in celis, si mundum possem habere ad votum meum in terris.”

123 Et tunc audiui verbum de pulpito sic dicens: ”Aufer nunc a rege vas unccionis, quia peccauit in Deum patrem. Deus enim pater, qui eternaliter est in Filio et Spiritu Sancto, dedit legem veram et rectam per Moysen, sed iste rex constituit legem contrariam et peruersam. **124** Verum quia iste rex aliqua bona fecit, licet non bona intencione, ideo permittitur ei possidere regnum ad dies suos, ut sic in mundo remuneretur.” **125** Secundo loquebatur verbum de pulpito sic dicens: ”Aufer ferrum acutissimum ab oculis regis, quia peccauit contra Filium Dei. Ipse enim dicit in Euangelio, quod iudicium sine misericordia fiet ei qui non

facit misericordiam. **126** Iste vero rex noluit iniuste afflicto facere misericordiam nec corrigere errorem suum, sed nec mutare peruersam voluntatem suam. Verumptamen propter aliqua bona, que fecit, detur ei in remuneracionem, ut verba sapientie habeat in ore et a pluribus sapiens reputetur.” **127** Tercio loquebatur verbum iusticie dicens: ”Auferatur a rege malleus, quia peccauit in Spiritum Sanctum. Spiritus enim Sanctus omnibus penitentibus remittit peccata. Iste vero rex usque ad finem perseuerare proponit in peccato suo. **128** Verumptamen quia aliqua bona fecit, ideo detur ei hoc, quod feruencius appetit ad corporis delectamentum, scilicet illa mulier quam appetit in uxorem, delectabile oculorum suorum, et ut obtineat pulchrum et optabilem finem vite secundum mundum.”

129 Post ista autem appropinquante penultimo tempore finis regis clamauit dyabolus dicens: ”Ecce ablatum est vas unccionis! Ideo iam ego aggrauabo manus, ne faciat fructuosa opera.” **130** Et statim prolato verbo dyaboli rex priuatus fuit fortitudine et sanitate. Et tunc statim clamauit dyabolus dicens: ”Ecce ablatum est ferrum acutum! Ideo aggrauabo laqueum meum.” Et statim rex priuatus est loquela. **131** Et in isto priuacionis puncto iusticia loquebatur angelo bono, qui regi datus fuerat ad custodiam, dicens: ”Inquire in rota et vide, que linea tendit sursum, et lege scripturam eius!” **132** Et ecce quarta linea tendebat sursum, in qua nichil omnino scriptum erat sed erat quasi tota rasa. Et tunc respondit iusticia: **133** ”Quia,” inquit, ”anima ista illud quod vacuum est dilexit, ideo nunc vadat ad sui remuneratoris dileccionem.” Et statim separata est anima regis a corpore.

134 Cumque egressa esset anima, statim clamauit dyabolus dicens: ”Ego iam dirumpam cor istius regis, quia possideo eius animam.” **135** Et tunc vidi, qualiter rex immutabatur totus a vertice capitis usque ad calcaneum et apparebat horribilis quasi animal totum decoriatum. Oculi quoque eius erant eruti et caro tota quasi conglobata, et tunc vox eius talis audiebatur: **136** ”Ve,” inquit, ”michi, quia cecus factus sum sicut catulus in cecitate natus, querens posteriora matris. Quia propter ingratitude meam non video ubera matris. **137** Ve michi, quia video in cecitate mea, quod numquam visurus sum Deum, quia consciencia mea nunc intelligit, unde cecidi et quid facere debuissen, et non feci. **138** Ve quoque michi, quia Dei prouidencia natus in mundo et renatus baptismo oblitus fui et neglexi Deum. Et quia nolui bibere de lacte dulcedinis diuine, ideo iam similior sum cani ceco quam infanti videnti et viuenti. **139** Sed nunc eciam contra voluntatem meam, licet rex fuerim, compellor dicere veritatem. Ego enim quasi tribus funibus alligatus et obligatus eram seruire Deo, scilicet propter baptismum, propter coniugium et propter coronam regni. **140** Sed primum contempsi, quando affectum meum verti ad vanitates mundi. Secundum non attendi, quando desiderabam alienam uxorem. Tercium spreui, quando superbiebam de potestate terrena et celestem potenciam non cogitavi. **141** Propterea, licet nunc cecus sum, video tamen in consciencia mea, quod propter contemptum baptismi debeo alligari ad odium dyaboli, et propter carnis inordinatum motum debeo sustinere dyaboli voluptatem, propter superbiam vero debeo pedibus dyaboli alligari.”

142 Tunc autem respondit demon: ”O, frater, nunc tempus est, ut ego loquar; et loquendo operabor. Veni itaque ad me non cum caritate sed cum odio. Ego denique angelorum pulcherrimus fui, tu vero homo mortalis. **143** Et potentissimus Deus dedit michi liberum arbitrium; sed quia illud inordinate moui et magis volui odire Deum, ut excellerem eum, quam diligere, ideo cecidi sicut qui habet caput deorsum et pedes sursum. **144** Tu vero sicut et omnis homo post casum meum creatus fuisti et obtinuisti speciale priuilegium super me, scilicet quod sanguine Filii Dei redemptus es et non ego. **145** Igitur, quia tu spreuisti caritatem Dei, ideo verte caput tuum ad pedes meos et ego suscipiam pedes tuos in os meum et sic simus coniuncti ad inuicem sicut illi, quorum alius habet gladium in corde alterius, alius vero cultrum in visceribus alterius. **146** Tu igitur punge me ira tua, ego autem pungam te malicia mea. Et quia caput habui, id est intelligenciam honorandi Deum, si voluissem, tu vero pedes, id est fortitudinem eundi ad Deum habuisti et

noluisti, ideo terribile caput meum consumet frigidos pedes tuos. **147** Voraberis quidem incessanter, sed non consumeris, ymmo renouaberis in id ipsum. **148** Coniungamus eciam nos tribus funibus. Primus funus sit in medio, quo umbilicus tuus et meus coniungantur simul, quatenus me spirante trahas in te venenum meum, te vero spirante ego attraham in me interiora tua. **149** Et merito. Dilexisti quippe plus te ipsum quam redemptorem tuum, sicut et ego plus dilexi me ipsum quam creatorem meum. Cum secundo vero fune coniungamus caput tuum et pedes meos. Cum tercio vero caput meum et pedes tuos.”

150 Deinde vidi eundem dyabolum habentem tres ungulas acutas in quolibet pede. Et dixit ad regem: ”Quia tu, frater, habuisti oculos ad videndum viam vite et conscienciam ad discernendum bonum et malum, ideo due ungule mee intrabunt et perforabunt oculos tuos, **151** tertia vero ungula intrabit cerebrum tuum; quibus intantum suffocaberis, quod totus sis sub pedibus meis. Quia tu ad hoc creatus fuisti, ut esses dominus meus et ego scabellum pedum tuorum. **152** Accepisti quoque duas aures ad audiendum viam vite et os ad loquendum utilia anime. Sed quia tu spreuisti audire et loqui salutem anime tue, ideo due ungule alterius pedis mei intrabunt aures tuas et tertia ungula intrabit os tuum. **153** In quibus sic cruciaberis, quod omnia illa erunt tibi amarissima, que prius, quando offendisti Deum, tibi dulcia videbantur.” **154** Hiis autem dictis statim coniuncta sunt modo supradicto caput et pedes et umbilicus regis cum capite et pedibus et umbilico dyaboli. Et sic ambo colligati descenderunt in abyssum. Et tunc audiui unam vocem dicentem: **155** ”O, o, quid habet modo rex de omnibus diuiciis suis? Certe non nisi dampnum. Quid vero de honore? Certe non nisi pudorem. Quid vero habet de cupiditate, qua ambiebat regnum? Vere non nisi penam. **156** Ipse enim unctus fuit oleo sancto et consecratus verbis sanctis et coronatus corona regia, ut verba et facta Dei honoraret, defenderet quoque populum Dei et regeret, sciret eciam se semper esse sub pedibus Dei Deumque remuneratorem suum. **157** Sed quia contempsit esse sub pedibus Dei, ideo nunc est sub pedibus dyaboli. Et quia tempus suum fructuosis operibus redimere noluit, cum potuit, ideo ammodo non habebit tempus fructuosum.”

158 Post hec autem loquebatur iusticia de libro, qui erat in pulpito, dicens michi: ”Omnia ista, que tibi tam seriose ostensa sunt, in unico puncto sunt apud Deum. Sed quia tu corporalis es, ideo necesse est, quod spirituales intelligencie tibi per corporales similitudines aperiantur. **159** Itaque, quod rex et angelus et dyabolus tibi visi sunt loqui ad iniuicem, hoc nichil aliud est nisi inspiraciones et infusiones boni et mali spiritus, facte vel per seipsos vel per consiliarios et amicos eorum ad animam regis. **160** Quod vero dyabolus clamabat dicens ’perforatum est’, rege dicente se velle tenere quidquid subesset corone, qualicumque modo esset acquisitum, nec curare de iusticia, **161** hoc sic intelligendum est, scilicet quod tunc consciencia regis perforabatur ferro dyaboli, id est peccati obduracione, quando ipse noluit inquirere et discutere, que erant illa que iuste pertinebant ad regnum et que non, et quando qualem iusticiam ipse habebat ad regnum non curauit examinare.

162 Tunc vero impositus fuit uncinus anime regis, quando temptacio dyaboli tantum in anima regis preualuit, quod in iniusticia sua perdurare voluit usque ad mortem. Quod vero malleus venit in sinum regis post uncinum significat tempus contricionis datum regi. **163** Nam si rex talem cogitatum habuisset: ’Peccauit,’ inquit; ’nolo amplius scienter male acquisita tenere, emendabo igitur me de cetero,’ statim uncinus iusticie comminutus fuisset malleo contricionis et rex venisset ad bonam vitam et viam. **164** Quod vero dyabolus clamauit: ’Ecce, rex prebet michi linguam,’ et statim laqueus impositus fuit regi nolenti facere gratiam homini quem diffamauerat, hoc sic intelligendum est, quod quicumque proximum scienter vituperat et infamat, ut famam propriam dilatet, ipse dyabolico regitur spiritu et sicut fur irreciendus est laqueo. **165** Quod vero ferrum acutum venit ante regem post laqueum significat tempus immutacionis et correccionis praeue voluntatis et operacionis. **166** Ergo quando corrigit homo bona voluntate et

emendacione reatum suum, talis voluntas est quasi ferrum acutissimum, quo inciditur laqueus dyaboli et remissio peccatorum obtinetur. **167** Si ergo rex iste mutasset voluntatem suam et fecisset illi homini iniuriato et diffamato gratiam, statim precisus fuisset laqueus dyaboli. Sed quia firmavit in proposito malo voluntatem suam, ideo iusticia Dei fuit, ut magis induraretur.

168 Tercio vidisti, quod rege excogitante imponere in regno novas exactiones tributorum infusum fuit in manibus eius venenum. Significat quod opera regis regebantur dyabolico spiritu et pravis suggestionibus. **169** Nam sicut venenum facit inquietacionem et infrigidacionem in corpore, sic rex sollicitabatur et inquietabatur malignis suggestionibus et cogitacionibus, scilicet inuestigando modos, quomodo obtineret possessiones et bona aliorum et aurum viatorum. **170** Nam quando viatores dormientes credebant aurum suum esse in bursa propria, expergefatti videbant illud esse in potestate regia. Quod vero vas unccionis venit post venenum significat sanguinem Iesu Christi, quo omnis eger viuificatur. **171** Itaque, si rex intinxisset opera sua in consideracionem sanguinis Christi et rogasset Deum in adiutorium et dixisset: 'O, Domine Deus, qui me creasti et redemisti, scio quod ex permissione tua ego veni ad regnum et coronam: expugna igitur hostes impugnantes me et solue debita mea, quia non sufficiunt facultates regni,' **172** ego utique fecissem opera et onera eius leuia ad portandum. Sed quia ipse concupiuit aliena volens videri iustus, ubi sciuit se iniustum, ideo dyabolus rexit cor eius. **173** Qui suasit ei facere contra constituciones Ecclesie, mouere eciam bella et innocentes defraudare, donec iusticia de pulpito maiestatis diuine clamauit super eum iudicium et equitatem.

174 Rota vero, que mouebatur secundum flatum regis, significat conscienciam regis, que more rote nunc ad leticiam mouebatur, nunc ad tristitiam. Quatuor vero linee, que erant in rota, significant quadruplicem voluntatem, quam omnis homo habere tenetur, scilicet perfectam, fortem, rectam et racionabilem. **175** Perfecta igitur voluntas est Deum diligere et eum velle habere super omnia et hec debet esse in prima et summa linea. Secunda voluntas est desiderare et facere proximo bonum sicut sibi ipsi propter Deum. Hec autem voluntas sit fortis, ne odio vel auaricia infringatur. **176** Tercia voluntas est velle abstinere a carnalibus desideriis et desiderare eterna. Et hec voluntas sit recta, ut fiat non ad placendum hominibus sed Deo. Et ista debet esse scripta in tertia linea. Quarta vero voluntas est nolle habere mundum nisi racionabiliter et ad solam necessitatem. **177** Versa igitur rota apparuit in linea que tendebat sursum, quod rex dilexit oblectamenta mundi contempta dileccione Dei. In secunda linea erat scriptum, quod dilexit homines mundi. **178** In tertia linea scripta erat dileccio, quam inordinate habuit ad possessiones mundi et diuicias. In quarta vero linea nichil erat scriptum sed totum erat vacuum. In qua debuisset fuisse scriptum DILECCIO DEI SUPER OMNIA. **179** Vacuitas ergo quarte linee significat defectum dileccionis et timoris Dei. Nam per timorem attrahitur Deus in animam, per dileccionem vero figuratur Deus in anima bona. **180** Nam si homo in vita sua numquam dilexisset Deum et iam in extremis positus diceret toto corde: 'O, Deus, penitet me toto corde peccasse contra te. Da michi dileccionem tuam et emendabo me de cetero,' homo talis dileccionis non iret ad infernum. **181** Ergo, quia rex non dilexit quem debuit, ideo habet iam retribucionem dileccionis sue."

182 Post hec autem vidi illum alium regem ad partem dexteram iusticie, qui erat in purgatorio. Qui similis erat puero iam nato non valenti se mouere, nisi quod solummodo oculos leuabat. **183** In sinistra eciam parte regis vidi, quod stabat dyabolus, cuius caput simile erat sufflatorio cum longa fistula, cuius brachia quasi duo colubri et genua eius quasi prelum, pedes quoque quasi longus uncus. **184** Ad dexteram vero regis stabat angelus pulcherrimus paratus ad iuuandum. Et tunc audiui vocem dicentem: "Iste," inquit, "rex talis nunc apparet, qualis anima eius disposita fuit, quando a corpore egrediebatur." **185** Et statim clamauit dyabolus ad librum, qui stabat in pulpito, dicens: "Mirabile cernitur hic. Angelus enim iste et ego

expectabamus huius pueri natiuitatem, ille quidem cum puritate sua, ego autem cum omni impuritate mea. **186** Nato itaque puero non ad carnem sed de carne, apparuit in eo immundicia; quam angelus abhorrens non valuit tangere puerum. Ego vero, quia incidit in manus meas, tango eum. **187** Sed nescio, quo ducturus sum eum, quia tenebrosi oculi mei non vident eum propter fulgorem cuiusdam claritatis procedentis de pectore eius. Angelus vero videt eum et scit, quo ducturus est eum, sed non valet tangere eum. Ideo tu, qui iustus iudex es, dissolue certamen nostrum.”

188 Respondit verbum de libro, qui stabat in pulpito, dicens: ”Tu qui loqueris edicito, qua de causa incidit ista anima regis in manus tuas.” **189** Respondit dyabolus: ”Tu qui es ipsa iusticia, tu dixisti nullum ingredi celum, qui non prius iniuste ablata restituerit. **190** Sed hec anima tota maculata est de iniuste acquisitis in tantum, quod omnes vene et medulle et caro et sanguis eius nutriebantur et creuerunt de cibis iniuste acquisitis. **191** Secundo dixisti non congregandos thesauros, quos erugo et tinea demoliuntur, sed qui permanent in eternum. In ista vero anima locus ille vacuus erat, in quo celestis thesaurus recondi debebat, et ille locus plenus erat, ubi vermes et rane nutriebantur. **192** Tercio dixisti proximum diligendum propter Deum. Sed hec anima corpus dilexit plus quam Deum et de proximi dilectione nil curauit. **193** Nam habitans in carne consolabatur de ablacione bonorum proximi sui, vulnerabat corda subditorum suorum non attendens dampna aliorum, dummodo ipse habundaret. **194** Fecit quoque quidquid placuit sibi et quidquid voluit iussit et modicum curauit de equitate. Iste itaque sunt cause principales, quas alie innumerabiles sequebantur.”

195 Tunc autem respondit verbum de libro iusticie dicens ad angelum: ”O, tu angele custos anime, qui es in luce et vides lucem, quid iuris aut virtutis habes tu ad iuuandum animam istam?” **196** Respondit angelus: ”Ipsa,” inquit, ”habuit fidem sanctam et credit et sperauit omne peccatum per contricionem et confessionem delendum. Timuit quoque te Deum suum, licet minus quam debuit.”

197 Iterum eciam loquebatur iusticia de libro dicens: ”O, tu angele meus, tibi iam permittitur tangere animam. Et tibi, dyabole, permittitur modo videre lucem anime. Inquirite igitur ambo, quid dilexit anima ista, quando viuebat in corpore et habuit omnia membra sana.” **198** Responderunt ambo, angelus scilicet et demon: ”Homines et diuicias dilexit.” Et tunc ait iusticia de libro: ”Quid,” inquit, ”dilexit, quando anxiebatur pressura mortis?” Responderunt ambo: **199** ”Se ipsum,” inquit, ”dilexit. Nam plus anxiebatur de infirmitate carnis et tribulacione cordis quam de passione redemptoris sui.”

200 Iterum loquebatur eis iusticia: ”Adhuc inquirite, quid dilexit et cogitauit in ultimo puncto vite, quando adhuc habebat in se sanam conscienciam et intellectum.” **201** Respondit angelus solus: ”Ipsa anima cogitauit taliter: ’Ve,’ inquit, ’michi, quia multum audax fui semper contra redemptorem meum. Utinam unum tempus haberem, quo possem regraciari Deo meo pro beneficiis suis! **202** Plus enim angit me peccasse contra Deum quam dolor carnis mee. Et eciam si non obtinerem celum, tamen seruire vellem Deo meo.” Respondit iusticia de libro dicens: **203** ”Quia tu, dyabole, non potes videre animam propter claritatem fulgoris eius, nec tu, angele meus, potes eam tangere propter immundiciam eius, ideo iudicium est, quod tu, dyabole, purges eam. **204** Tu vero, angele, consolare eam, donec ad claritatem glorie introducatur. Tibi vero, anima, permittitur respicere ad angelum et ab eo habere consolacionem; erisque particeps sanguinis Christi et oracionum Matris eius et Ecclesie Dei.”

205 Hiis autem auditis dyabolus dixit ad animam: ”Quia venisti ad manus meas plena cibis et bonis male acquisitis, ideo nunc ego euacuabo te prelo meo.” **206** Et tunc posuit demon cerebrum regis inter genua sua similia prelo et stringebat fortiter in longitudine et latitudine, donec medulla tota gracilis fieret sicut folium

arboris. **207** Item secundo dyabolus dixit ad animam: "Quia locus, ubi virtutes esse debebant, vacuus est, ideo ego implebo eum." Et tunc posuit quasi fistulam sufflatorii in ore regis et insufflauit fortiter, implens eum valenter horribili vento in tantum, quod omnes vene et nerui regis miserabiliter rumpebantur. **208** Item tercio dixit dyabolus anime regis: "Quia in subditos tuos, qui quasi filii tui esse debuissent, impius et immisericors fuisti, ideo brachia mea mordendo constringent te, quia sicut tu pupugisti subditos tuos, sic brachia mea similia serpentibus laniabunt te cum dolore maximo et horrore." **209** Post istas autem tres penas, scilicet preli et sufflatorii et serpencium, cum dyabolus vellet iterum aggrauare penas et a prima incipere, tunc vidi angelum Dei extendere manus suas super manus dyaboli, ne aggrauaret tantum penas sicut in prima vice. **210** Et sic in qualibet vice angelus Domini mitigabat penas. Anima vero post quamlibet penam eleuabat oculos suos ad angelum, nichil tamen loquens sed innuens in gestu suo, quod per eum consolabatur et quod cicius saluaretur.

211 Item loquebatur verbum de pulpito michi dicens: "Omnia," inquit, "ista, que tam seriose ostensa tibi sunt, apud Deum fiunt in unico puncto. Sed quia tu corporalis es, ideo per similitudines ista tibi ostenduntur. **212** Itaque quamuis rex iste cupidus fuit ad honores mundi et ad recipiendum que non erant sua, verumtamen quia timuit Deum et aliqua delectabilia sibi dimisit facere propter timorem illum, ideo timor iste traxit eum ad caritatem Dei. **213** Propterea scias, quod multi implicati multis sceleribus obtinent maximam contricionem ante mortem. Quorum contricio tam perfecta potest esse, quod non solum dimittitur eis peccatum sed eciam pena purgatorii, si in ipsa contricione moriuntur. **214** Sed iste rex non obtinuit caritatem antequam in ultimo puncto vite, quia tunc, deficientibus iam viribus et consciencia, obtinuit tamen ex gracia mea inspiracionem diuinam, qua plus doluit de inhonoracione Dei quam de dolore et dampno suo. **215** Et iste dolor significabat lucem illam, de qua dyabolus obtenebratus ignorabat, quo animam regis esset ducturus. **216** Nec ideo dixit se obtenebratum, quasi quod non haberet spirituales intelligencias sed quia admirabatur in illa anima tantam lucis claritatem et tantam immundiciam. **217** Angelus vero sciebat bene, quo duceret animam, sed non valebat eam tangere, antequam esset purgata, sicut scriptum est: Nemo videbit faciem Dei, nisi prius mundificatus fuerit."

218 Item loquebatur michi verbum de pulpito dicens: "Quod autem vidisti angelum extendere manus suas super manus dyaboli, ne aggrauaret penas, significat potestatem angeli super potestatem dyaboli, qua refrenat maliciam dyaboli. **219** Quia demon nullum modum nullumque ordinem haberet in puniendo, nisi virtute Dei refrenaretur, et ideo Deus adhuc in inferno facit misericordiam. **220** Quia quamuis dampnatis non erit redemptio seu remissio vel consolacio, tamen quia non puniuntur nisi secundum merita et iusticiam, ideo in hoc magna est Dei misericordia. Alias dyabolus non haberet temperanciam nec modum in malignando. **221** Quod vero rex iste videbatur quasi puer tunc natus, significat, quod qui nasci voluerit de mundi vanitate ad celestem vitam debet esse innocens et gracia Dei crescere virtutibus ad perfeccionem. **222** Quod autem rex leuabat ad angelum oculos suos significat, quod per angelum custodem suum habebat consolacionem et de spe gaudium, eo quod sperabat se ad eternam vitam peruenturum. **223** Sic ergo spiritualia per corporales similitudines intelliguntur. Nam dyaboli vel angeli non habent talia membra vel collocuciones, cum sint spiritus, sed per tales similitudines eorum bonitas vel malignitas corporalibus oculis declaratur."

224 Item loquebatur verbum de pulpito dicens michi: "Pulpitum quod tu vidisti significat ipsam deitatem, scilicet Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. **225** Quod vero non potuisti comprehendere pulpiti longitudinem et latitudinem nec profundum nec altitudinem, significat, quod in Deo non est inuenire principium neque finem, quia Deus sine principio est et erat et sine fine erit. **226** Quod vero quilibet color dictorum trium colorum videbatur in altero, et tamen unus color discernebatur ab altero, significat, quod

Deus Pater eternaliter est in Filio et Spiritu Sancto, et Filius in Patre et Spiritu Sancto et Spiritus Sanctus in utroque, unum veraciter natura et distincti proprietate personarum. **227** Quod vero unus color videbatur sanguineus et rubeus, significat Filium qui illesa deitate humanam naturam assumpsit in suam personam. **228** Albus vero color significat Spiritum Sanctum, per quem fit ablucio peccatorum. Aureus autem color significat Patrem, qui est principium et perfeccio omnium. Non quod aliqua perfeccio est magis in Patre quam in Filio nec quod prius est Pater quam Filius. **229** Et ut intelligas, quod non est idem Pater qui est Filius, sed alius in persona Pater, alius in persona Filius, alius in persona Spiritus Sanctus, unum vero in natura, ideo ostenduntur tibi tres colores discreti et coniuncti, discreti propter discrecionem personarum, uniti vero propter unitatem nature. **230** Et sicut in unoquoque colore vidisti reliquos colores neque unum sine alio videre potuisti nec in coloribus aliquid prius aut posterius, maius aut minus, sic in trinitate nichil est prius vel posterius, maius vel minus, diuisum vel confusum sed una voluntas, una eternitas, una potestas unaque gloria. **231** Et licet Filius sit a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque, numquam tamen Pater fuit sine Filio et Spiritu Sancto neque Filius et Spiritus Sanctus sine Patre.”

232 Item loquebatur verbum ad me dicens: ”Liber, qui in pulpito videbatur, significat, quod in deitate est eterna iusticia et sapiencia, cui nichil addi vel minui potest. **233** Et iste est liber vite, qui non est scriptus sicut scriptura, que est et non fuit. Sed scriptura huius libri semper est. **234** In deitate quippe est sempiternum; est et intellectus omnium presencium, preteritorum et futurorum absque transmutacione et vicissitudine, et nichil est ei inuisibile, quia omnia videt. **235** Quod vero verbum loquebatur se ipsum, significat, quod Deus est verbum eternum, a quo sunt omnia verba et in quo viuificantur et subsistunt omnia. Et ipsum verbum tunc visibiliter loquebatur, quando verbum factum est caro et cum hominibus conuersabatur.

236 Ecce hanc visionem diuinam promeruit Mater Dei. Et hec est misericordia promissa regno Swecie, scilicet quod homines habitantes in eo audirent verba, que procedunt de ore Dei. **237** Quod vero pauci recipiunt et credunt verba celestia diuinitus tibi data, hoc non est culpa Dei sed hominum, quia nolunt dimittere frigus mentis sue. **238** Nam eciam verba euangelica non sunt completa cum primis regibus illius temporis, sed adhuc venient tempora, quo complebuntur.”

Christus declarat sponse, quare Deus plagauit populum Israel in deserto et non in Egipto, et de probacione Moysi. Et reprehendit quendam regem cum comminacione, quia non compaciebatur subditis et regebatur per malos consiliarios; nec confidat in hoc, quod antea vocauerat eum amicum. Capitulum

XLIX.

1 Loquebatur Dominus ad sponsam dicens: ”Tria genera hominum erant in populo Israel. Quidam eorum diligebant Deum et Moysen, alii plus se quam Deum, alii vero nec Deum nec Moysen sed terrena sola. **2** Cumque populus iste esset in Egipto, omnes vocabantur filii Dei et filii Israel, sed non omnes equali mente seruiebant Deo. **3** Sic eciam cum Deo placuit educere populum de Egipto, quidam crediderunt Deo et Moysi, alii autem exacerbabant Deum et Moysen. Ideo Deus ostendit misericordiam suam magnam et iusticiam induratis.

4 Sed poteris querere: Cur Deus eduxit populum et non magis plagauit eum in Egipto, cum ipse presciuit nondum esse tempus miserendi nec malicias hominum esse completas? **5** Respondeo: Ego ipse Deus elegi

populum Israel quasi scolares ad instruendum et probandum eos in deserto. Quibus necessarius erat pedagogus, qui verbo et opere prederet eos. **6** Ut ergo discipuli perfectius instruerentur, magis necessarium fuit desertum quam Egyptus, ne forte in disciplina iusticie Dei inquietarentur nimium ab Egyptiis aut ne inter signa misericordie abscondenda canibus improbe eleuarentur. **7** Moyses quoque tamquam magister populi probari debuit, ut, qui Deo manifestus fuerat, etiam discipulis ad imitandum notus fieret; qui ex populi insipientia factus est probacior et ex signis insignior notusque esset uniuersis. **8** Vere dico, quod etiam sine Moyse eductus fuisset populus, et sine Moyse moriturus erat populus, sed propter bonitatem Moysi leuius mortuus est populus, et propter caritatem Moysi sublimius est populus coronatus. Nec mirum, quia in omnium morte passus est Moyses ex compassione. **9** Ergo ideo Dominus distulit promissum suum, ut probaretur populus et Deus notus fieret ex signis et misericordia et paciencia sua, populi quoque ingratitude et voluntas ostenderetur in cautelam futurorum. **10** Sic etiam multi sancti in terras infidelium intrauerunt ex inspiratione Spiritus Sancti, qui non consecuti sunt quod voluerunt et tamen propter voluntatem bonam sublimiter coronati sunt. **11** Propter quorum pacienciam et bonam voluntatem Deus accelerauit tempus miserendi et viam nouam, quam ipsi attemptabant, eo celerius perduxit ad effectum. **12** Sic ergo iudicia Dei semper veneranda et timenda sunt et summe cauendum, ne voluntas hominis contraria sit voluntati Dei.

13 Verum rex iste, de quo tibi loquor, quem tu nosti, non sic affectus erat sicut Moyses, quia iste non curabat, si totus populus suus moreretur, dum tamen ipse solus saluaretur et honoraretur. Qui et dyabolicis consiliis regebatur. **14** Qui noluit dimittere pertinaciam et instabilitatem mentis sue, nec voluit obedire in consilio hiis quibus debuit, de quibus habere poterat lac diuine sapiencie et bone correccionis. **15** Nec mirum. Nam ipse processit de radice hominis exasperantis Deum et ideo non corrigitur nisi per flagella.

Scito etiam, quod in isto regno quadruplex generacio regum fuit. **16** In prima fuit ambicio et crudelitas, quam tolerabat Deus propter quedam opera bona et propter peccata populi. In secunda fuit incontincencia et iniusticia, quam misericorditer humiliavit Deus et vocauit sub coronam. **17** Tercia generacio processit de ambiciosa radice et duro stipite in qua erat cupiditas et amor sui. Ideo puniuit eam Deus temporaliter, ut leuius haberet in futurum. **18** In quarta est simulata humilitas et defectus iusticie et prodigalitas. Ideo ex caritate ostendam ei misericordiam et iudicium. **19** Et si non audierit, flagellabo eum a capite usque ad calcaneum in tantum, quod omnes, qui audierint, mirabuntur et contremiscent de Dei iusticia et equitate. **20** Nec confidat, quod dixi eum amicum, sed attendat ad conclusionem verborum, scilicet si tenuerit fidem suam mecum, et tunc ego tenebo promissionem meam.”

Christi verba reuelata sponse pro imperatore Alamanie, quod ipse conetur reformare in Ecclesia Dei quatuor sorores, id est quatuor virtutes, que expulse sunt de sedibus suis, et quod deponantur et extirpentur quatuor vicia contraria, que prohdolor in Ecclesia dominantur. Capitulum L.

1 Christus precepit sponse, quod quasi a seipsa scriberet imperatori verba reuelacionis diuine in hec verba: Conqueror non solum ex parte mea sed ex parte multorum electorum Dei coram imperiali maiestate vestra, quod erant quatuor sorores filie potentis regis, quarum quelibet habebat sedem et potestatem in patrimonio suo. **2** Et quicumque volebant inspicere pulchritudinem istarum sororum obtinebant consolacionem ex pulchritudine earum et bona exempla ex earum deuocione. **3** Prima vocabatur soror Humilitas in omnium agendarum rerum disposicione. Secunda vocabatur soror Abstincencia ab omni inquinata conuersacione. **4**

Tercia vocabatur soror Contentacio sine aliqua superfluitate. Quarta vocabatur soror Caritas in proximorum tribulacione. Iste autem quatuor sorores sunt iam in patrimonio suo annihilate et quasi ab omnibus contempte.

5 In quarum sedibus sunt alie quatuor illegittime sorores institute, que a fornicario progenite sunt et vocantur iam domine. **6** Quarum prima vocatur domina Superbia, que est ad placendum mundo. Secunda vocatur domina Delectacio secundum omnem carnis appetitum. Tercia vocatur domina Superfluitas super omnem necessitatem. **7** Quarta vocatur domina Simonia, a cuius deceptione se quasi nullus custodire potest, quia utrum iuste vel iniuste acquisitum sit quod recipit, tamen omnia recipit cum cupiditate. **8** Iste vero domine loquuntur contra precepta Dei, volentes ea annihilare, et tribuunt occasionem multis animabus ad eternam dampnationem.

9 Propterea, domine, facite propter caritatem, quam Deus vobiscum fecit, quod iuuetis istas quatuor sorores primas, que vocantur virtutes, que processerunt de ipsa virtute Iesu Christo summo imperatore et rege. **10** Que iam deprese sunt in Sancta Ecclesia, que est patrimonium Christi, ut exaltentur cicius et ut vicia, que vocantur domine in mundo, deprimantur. Que sunt proditrices animarum, quia nate sunt de ipso vicio dyabolo proditore.

Imperator Christus scribit imperatori Alamanie notificans ei, qualiter ipse ore proprio multa locutus est cum sponsa, que in libro celesti scripta sunt, et precipit ei, quod videat et perscrutetur ea et conetur cum summo pontifice ad confirmationem regule, quam ipse dictauit sponse. Capitulum LI.

1 Loquebatur Christus ad sponsam dicens: "Scribe ex parte mea imperatori verba hec: Ego sum lux illa, que illuminaui omnia, quando tenebre opperiebant omnia. Ego sum eciam lux illa que inuisibilis per deitatem, visibilis vero apparui per humanitatem. **2** Ego sum eciam lux, que te quasi speciale lumen constitui in mundo, ut in te inueniretur maior iusticia pre aliis et ut tu dirigeres omnes ad iusticiam et pietatem. **3** Ideo significo tibi ego vera lux, qui te ascendere feci ad sedem imperialem, quod ego, quia sic placet michi, loquor cum una femina verba iusticie mee et misericordie. **4** Suscipe igitur illa verba librorum, que ipsa mulier scripsit de ore meo, et perscrutare illa et labora, ut iusticia mea timeatur et misericordia mea discrete desideretur. **5** Scias eciam tu, qui imperium tenes, quod ego omnium conditor dictaui unam regulam monialium ad honorem amantissime virginis Matris mee et dedi illam isti mulieri, que scribit tibi. **6** Perlege igitur eam et conare cum summo pontifice, ut dicta regula, ore meo proprio dictata, per eum qui in mundo vicarius meus est eciam apud homines approbetur, quam ego Deus coram exercitu meo celesti approbaui."

Christus consulit cuidam regi, qui inobediens fuerat consiliis virginis Marie, quod vadat ad papam et petat ab eo absolucionem de certis grauibus peccatis suis hic contentis, non occultando peccata nec excusando sed humiliando se toto corde, quia summa peccata per summum pontificem sunt abolenda. Capitulum LII.

1 Filius Dei loquitur sponse dicens: "Quia rex inobediens fuit in consiliis Matris mee, ideo nunc ego Filius Dei, qui sum in Matre, consulo ei, quod egrediatur et vadat ad summum pontificem petendo humiliter

absolucionem a peccatis suis. **2** Nam summa peccata emendanda sunt cum summo pontifice habente potestatem summam. Ille enim est summe potestatis, qui in sede mea sedens in mundo potestatem habet ligandi et soluendi nomine meo. **3** Igitur, si rex acquirerit consilio meo, dabo ei preciosissimum thesaurum et defendam eum ab inimicis suis, omniaque debita sua solvam vel corporaliter vel spiritualiter, si ipse non suffecerit soluere, et quemlibet passum pedis, quem laborauerit amore meo, numerabo et remeciar ei in eterna vita. **4** Cum vero ipse rex peruenerit ad summum pontificem, humiliet se ei ex toto corde, non occultando peccata nec excusando sed petendo absolucionem de inobediencia constitutionum Sancte Ecclesie Dei, de excommunicacione, qua innodatus est, et publico periurio, **5** de insolito grauamine communitatis populorum regni sui et de promocione indignorum clericorum ad ecclesiastica beneficia occasione sua et de hiis, que idem rex attemptauerat contra laudabilia statuta regni et episcoporum.”

Christus per sponsam consulit supra proximo regi, quod vadat ad papam non cum pompa et magna familia largiendo dona sua prodigaliter, ut laudetur in terris, sed quod vadat humiliter et sapienter habendo familiam necessariam, honestam et deuotam. Capitulum LIII.

1 Loquebatur Dominus ad sponsam dicens: ”Si rex egrediatur et vadat ad summum pontificem et peccata sua reputat magna, caueat sibi de adulantibus qui consulunt, quod egrediatur et vadat cum pompa ad hoc, ut laudetur nomen suum in terris, et ab illis qui consulunt ei dare dona sua largiter, ut publicetur fama sua, et congregare familiam multam, ne capiatur ab hostibus. **2** Sed egrediatur sapienter et humiliter habendo familiam necessariam et non superfluum, habendo famulos deuotos et honestos, expendendo sua non ad ostentacionem sed ad utilitatem et honorem Dei. **3** Caueat autem prudenter ab illis, qui ei nocere appetunt, quia licet ego omnia possum, tamen quandoque humanis consiliis et auxiliis agendum est. **4** Nam quamuis ego cum Moyse loquebar, tamen ipse eciam consilium pagani hominis, quod bonum erat, audiuit et sequebatur.”

Christus per sponsam monet reges, quod exonerent se a peccatis et exemplo angeli, qui precinctus ad viam apparuit Thobie, precingant se zona, id est continencia verborum et operum bonorum, antequam exeant de mundo, et quod portent vestes non detruncatas sed honestas et gestus moderatos. Capitulum LIIII.

1 Dominus loquebatur ad sponsam de supra proximo dicto rege dicens: ”Scriptum est, quod angelus Dei apparuit precinctus Thobie volenti peregrinari. Hoc notat figuram hominis iusti. **2** Nam homo, qui consequi desiderat remissionem peccatorum suorum, debet exonerare se contricione et confessione a peccatis suis et precingere se continencia verborum et operum bonorum. Sic igitur faciat iste rex. **3** Corrigit enim omnes actus suos, antequam exeat de mundo, habendo propositum sic abicere omnes leuitates priores, quod amplius in eis non delectetur. Turpe quippe est vouere pulcherrimo domino sequi eius pulchritudinem et iterum deformia imitari. **4** Nam famuli Dauid rasi turpiter barba et detruncatis vestibus non poterant intrare Ierusalem terrestrem, nisi prius emendatis vestibus et renascentibus barbibus, sed remanserunt in loco tribulacionis et despeccionis. Quanto magis ego Deus, pulchrior et forcior illo Dauid, quero pulchra in hominibus! **5** Non enim volo, quod portent detruncatas vestes more scurrarum, non gestus muliebres more effeminatorum, sed concedo hominibus utilia et honesta, ut vestiti sint ad utilitatem et honesti ad honorem meum et parati reddere michi rationem, quando michi placuerit vocare eos de mundo.”

Christus consolatur sponsam et dicit ei, quod non sileat verba Dei sibi reuelata, etiam si ex hoc improbetur, nec ea loquatur propter laudes hominum, quia quibus diuina consilia dantur, si eis obedierint, obtinebunt misericordiam promissam. Si vero contempserint, incurrent iusticiam. Capitulum LV.

1 Filius Dei loquebatur ad sponsam dicens: "Tu que spiritualia vides non ideo silere debes, quia vituperaris, nec ideo loqui, quia laudaris ab hominibus, nec timere debes ex eo, quod verba mea tibi diuinitus reuelata contempnuntur et non statim perficiuntur. **2** Nam illum, qui me contempnit, iudicat iusticia, illum vero, qui obedit michi, remunerat misericordia, et hoc dupliciter: primo quia pena peccati aboletur de libro iusticie, secundo quia merces augetur iuxta satisfacionem peccatorum. **3** Et ideo omnia verba mea sub hac conclusione mittuntur, videlicet si hii, quibus verba mea mittuntur, audierint et crediderint et illa opere adimpleuerint, quia tunc promissa mea complebuntur. **4** Propterea et Israel nolens precepta mea sequi dimisit viam rectam et compendiosam et iuit per viam prauam et laboriosam et factus est omnibus odiosus; quorum multi sunt in inferno, plures vero sunt in celo. **5** Sic etiam est et nunc. Nam populus istius regni, quem ego plagaueram, non est propter plagam humilior factus nec obediencior, sed factus est audacior contra me et magis contrarius michi."

6 Post hec autem audiui vocem dicentem: "O," inquit, "Fili Dei, qui humanum genus liberasti morte tua de inferno, surge et defende te, quia multi viri et mulieres excluserunt te a corde suo. **7** Ingredere igitur regnum sapienter sicut Salomon, aufer de postibus summas portas fortiter sicut Sampson, pone obsidionem contra clerum et decipulas in semitis ante pedes militum, deterre mulieres cum armis et deice pontes coram communitate populorum! **8** Nullusque inimicorum tuorum euadat, antequam cum vera humilitate illi petant misericordiam, qui contra te indurantur."

Deus Pater declarat sponse et ostendit ei seriose processum terribilem diuini iudicii factum contra quendam ingratum regem adhuc viuentem et inobedientem diuinis consiliis. Et qualiter sponsa videbat agnum et faciem in altari diuine maiestatis in celo et in eodem instanti videbat eum in manu presbyteri celebrantis in mundo. Et qualiter famuli et subditi regum afflicti existentes in mundo et in inferno et purgatorio conquerebantur Deo grauiter de eisdem regibus et principibus suis, et omnes sancti petebant super eos iusticiam et cetera. Notabile documentum. Capitulum LVI.

1 Deus Pater loquebatur sponse dicens: "Audi que loquor et loquere que precipio tibi, non propter honorem tuum nec propter vituperium tuum sed equanimiter; et equalem tene in animo tuo laudantem et vituperantem, ut nec propter vituperium mouearis ad iram nec propter laudem extollaris ad superbiam. **2** Nam ille dignus est honore, qui eternaliter est in se ipso et fuit et qui ex caritate creauit angelos et homines ad hoc solum, ut plures participarentur glorie eius. **3** Ego quippe nunc idem et ille sum in potencia et voluntate, qui tunc fui, quando Filius meus carnem assumpsit. **4** In quo ego sum et fui et ipse in me et Spiritus Sanctus in ambobus, et licet mundo fuit occultum, quod erat Filius Dei, tamen aliquibus quamuis paucis notum fuit. **5** Itaque scias, quod hec est iusticia Dei (que numquam habuit inicium sicut nec ipse Deus) quod prius angelis ostensa fuit lux, quam viderent Deum. Qui non ideo ceciderunt, quod ignorabant

legem et iusticiam Dei sed quia eam tenere et seruare noluerunt. **6** Ipsi quippe intelligebant, quod omnes diligentes Deum viderent Deum et manerent cum eo perpetuo, odientes vero Deum punirentur eternaliter numquam visuri eum in gloria sua. **7** Et tamen eorum cupiditas et ambicio elegit magis odire Deum et locum, ubi punirentur, quam diligere, ut perpetuo letarentur.

8 Similis etiam iusticia est de homine sicut de angelis. Homo quippe prius tenetur diligere Deum et postea videre. Propterea Filius meus ex caritate nasci voluit post legem iusticie, ut ex humanitate visibilis esset, quia in deitate sua non poterat videri. **9** Liberum quoque arbitrium ita datum est hominibus sicut angelis, ut desiderent celestia et contempnant terrena. **10** Propterea ego Deus visito multos multis modis, licet deitas mea non videtur. Et in multis partibus terrarum ostendi multis personis, quomodo peccatum cuiuslibet terre emendari potuit et quomodo misericordia obtineri debuit, priusquam in eisdem partibus feci iudicium et iusticiam meam. **11** Sed homines ista non attendunt nec curant. Ista etiam iusticia est in Deo, quod omnes qui sunt super terram primo sperent firmiter ea, que non vident, et credant Ecclesie Dei et sancto Euangelio. **12** Deinde diligant eum super omnia, qui eis dedit omnia et se ipsum pro eis in mortem, ut omnes cum eo eternaliter letarentur. **13** Propterea ego ipse Deus loquor hiis, quibus michi placet, ut sciatur, quomodo peccatum emendari debeat et quomodo minuatur pena et corona augeatur.”

14 Post hec autem vidi, quasi quod omnes celi essent una domus, in qua sedebat in throno iudex, et domus plena erat seruatoribus et laudantibus iudicem unusquisque voce sua. Subtus vero celum videbatur unum regnum. **15** Et statim audita est vox omnibus audientibus dicens: ”Venite,” inquit, ”vos ambo, angele scilicet et dyabole ad iudicium, tu scilicet angele, qui custos es regis, et tu dyabole, qui rector es regis.” **16** Et statim prolato verbo assistebant angelus et dyabolus coram iudice. Angelus videbatur sicut homo turbatus, dyabolus vero sicut homo gaudens. Et tunc iudex dixit: **17** ”O, angele, ego posui te custodem regi, quando ipse iniuit pactum mecum et fecit confessionem de omnibus peccatis, que commiserat a iuuentute sua, ut esses ei propinquior dyabolo. Quomodo igitur nunc elongatus es ab eo?” **18** Respondit angelus: ”O, iudex, ego sum ardens igne caritatis tue, qua et rex ad tempus calefactus fuit. **19** Sed quando rex abhominatus est et contempsit illa, que amici tui dixerunt sibi, et attediatus fuit facere illa, que tu consulisti ei, tunc iuit rex, sicut propria delectacio attraxit eum, et elongans se a me appropinquauit omnibus horis inimico.” **20** Respondit dyabolus: ”O, iudex, ego sum ipsum frigus et tu es ipse calor et ignis diuinus. Sicut ergo quilibet appropinquans tibi fit ardencior ad opera bona, sic rex appropinquans michi factus est frigidior ad caritatem tuam et calidior ad opera mea.”

21 Respondit iudex: ”Persuasum fuit regi diligere Deum super omnia et proximum sicut se ipsum. Cur ergo tu surripis a me hominem, quem ego redemi meo proprio sanguine, et facis eum nocere proximo suo non solum ad bona temporalia sed etiam ad vitam?” **22** Respondit dyabolus: ”O, iudex, nunc meum est loqui et angeli est tacere. Nempe quando rex discessit a te et a consiliis tuis et venit ad me, tunc ego consului ei diligere plus se ipsum quam proximum et quod non curaret de commodo animarum, si haberet honorem mundi, nec attenderet, quis egeret vel fraudaretur, si amici sui habundarent.” **23** Et tunc ait iudex ad dyabolum: ”Omnis,” inquit, ”qui discedere voluerit a te, poterit quidem, nec tu violenter aliquem retinere poteris. Ideo adhuc ego mittam regi aliquos amicorum meorum, qui eum de periculo suo incautabunt.” **24** Respondit dyabolus: ”Iusticia est, quod omnis ille, qui obedire velit michi, regi debet per me. Et ideo ego mittam etiam regi consiliarios meos, et videbitur, quibus consiliis magis acquiescet.” **25** Tunc autem dixit iudex: ”Vade, quia iusticia mea est adiudicare carnifici, quod suum est, sicut et actori, quod ei debetur in causa sua.”

26 Post aliquos autem annos iterum vidi ipsum iudicem cum exercitu suo celesti plus solito commotum et quasi iratum, et dixit ad angelum et ad dyabolum: "Dicite," inquit, "quis vestrum vicit!" **27** Respondit angelus: "Quando ego veni ad regem cum diuinis inspiracionibus et amici tui cum verbis spiritualibus, statim nuncii dyaboli sibilauerunt in aures eius dicentes: **28** 'Numquid parcere vis bonis temporalibus et honori tuo aut animabus vel corporibus ad hoc, ut amici tui, quos plus diligis quam te ipsum, prosperari et honorari possint?' **29** Quibus rex consenciens respondit infusionibus amicorum tuorum: 'Satis,' inquit, 'sum sufficiens et sapiens ad consilia eciam sine vobis. Discedite ergo a me cum rubore!' Et sic rex vertens ad te occiput et faciem ad inimicum repulit a se amicos tuos dehonestatos et iniuriatos et ab amicis mundi derisos." **30** Tunc autem clamauit dyabolus: "O, iudex, ecce iam meum est regere regem et dare sibi consilia per amicos meos!" Respondit iudex: "Vade et, quantum tibi permittitur, plaga regem, quia prouocauit me contra se ad indignacionem."

31 Duobus itaque annis post hec transactis apparuit iterum iudex, cui, assistentibus angelo et dyabolo, loquebatur dyabolus dicens: "O, iudex, iudica! Iam ego pronuntiabo iusticiam. Tu quippe es vere ipsa caritas. Ideo non pertinet ad te manere in corde illo, in quo radicata est inuidia atque ira. **32** Tu eciam es ipsa sapiencia, et ideo non debes esse in corde illius, qui desiderat nocere vite proximorum et bonis et honori. Tu quoque es ipsa veritas, et ideo non decet te morari cum homine illo, qui iureiurando promiserat facere prodiciones. **33** Ergo, quia iste rex exspuit te, sicut illud exspuitur quod abhominabile est, ideo permitte me commouere et opprimere eum, ut fiat totus exanimis, quia consilia mea reputat sapienciam et consilia tua pro derisu. **34** Desidero quippe tali mercede remunerare eum, quia fecit voluntatem meam, verumptamen nichil ei facere potero sine permissione tua." **35** Et ecce hiis auditis videbatur iudex quasi habere mutacionem mirabilem et apparuit tunc fulgens quasi sol et in ipso sole videbantur tria verba, scilicet Virtus, Veritas et Iusticia.

36 Virtus vero loquebatur dicens: "Ego omnia creauit nullorum precedentibus meritis et ideo dignus sum honorari a creatura mea et non contempni. Dignus eciam laude sum ab amicis meis propter caritatem meam. **37** Debeo eciam honorari et timeri ab inimicis, quia supporto eos pacienter sine meritis eorum, cum iudicium digne promeruisent. Et ideo, o dyabole, meum est iudicare omnes secundum iusticiam meam et non secundum maliciam tuam."

38 Loquebatur eciam veritas statim dicens: "Ego in deitate mea assumpsi humanitatem de virgine. In qua humanitate loquebar et predicabam gentibus. Ego eciam misi Spiritum Sanctum apostolis et loquebar per linguas eorum sicut et cotidie quibus michi placet infusione spirituali loquor. **39** Ideo sciant amici mei, quod ego ipse, qui sum veritas, misi verba mea uni regi, que ipse contempsit. Ergo tu, dyabole, nunc ausculta, quia ego loqui volo, ut sciatur, utrum rex meis consiliis an tuis suasionibus obediuit. **40** Loquar autem omnia consilia dicta regi, nunc repetendo verbis paucioribus, que prius lacius explicaueram.

41 Itaque regi persuasum fuit cauere ab omnibus peccatis prohibitis ab Ecclesia Sancta et moderata habere ieiunia, ut audiret et responderet subditis suis conquerentibus et paratus esset facere iusticiam diuitibus et pauperibus petentibus, ne forte propter nimiam abstinenciam diminueretur bonum communitatis populorum regni et regimen rei publice, aut propter excessum inordinatum fieret remissior ad dandum audienciam omnibus. **42** Item persuasum fuit regi, qualiter seruiret Deo et oraret et quibus diebus et temporibus exoccuparet se ad utilitatem communitatis regni sui. **43** Item persuasum fuit regi, quibus diebus portaret coronam regiam ad honorem Dei et quod omnia consilia sua tractaret cum hominibus diligentibus veritatem et amicis Dei nec umquam scienter transgrederetur veritatem et legem sed nec communitati populorum regni sui imponeret aliqua grauamina insolita nisi pro defensione regni et impugnatione paganorum. **44**

Item persuasum fuit regi habere numerum familiarium et seruiencium iuxta facultatem obuencionum et reddituum fiscalium regni sui. Et quidquid superesset diuideret cum militibus et amicis suis. **45** Item persuasum fuit regi, quod insolentes et insipientes ammoneret sapienter cum verbis et caritate et corripere viriliter et quod diligeret prudentes et maturos in caritate diuina, inhabitantes in regno defenderet et dona sua cum discrecione donaret. **46** Et omnia illa, que spectant ad coronam, non diminueret nec alienaret, indigenas et extraneos iuste iudicaret, clerum amaret, miliciam suam sibi caritatiue associaret et communitatem populorum regni sui in pace confoueret.”

47 Hiis autem auditis respondit dyabolus iudici dicens: ”Et ego consului regi quedam peccata facere in occulto, que ipse non audebat agere in aperto. **48** Cui eciam persuasi diu et multas oraciones et psalmos legere sine attentione et deuocione cordis, ut sic inaniter prolongando et occupando tempus nullos conquerentes audiret nec aliquam iusticiam faceret iniuriam patienti. **49** Persuasi quoque regi, ut ceteris bonis viris regni despectis unum super omnes hominem eleuaret et pre omnibus preficeret et eum plus quam se toto corde diligeret, filium eciam proprium odiret, communitatem populorum regni sui exactionibus grauaret, homines interficeret et ecclesias spoliaret. **50** Item persuasi regi, ut dissimulando iusticiam permetteret unumquemque nocere alteri et ut cuidam magno principi alterius regni, fratri meo adiurato, alienando donaret terras pertinentes corone sue ad illum finem, **51** ut prodiciones et bella suscitarentur, boni et iusti tribularentur, mali in infernum mergerentur profundius, purgandi in purgatorio affligerentur grauius, mulieres quoque violarentur, naues in mari deperderentur, sacramenta Ecclesie contempnerentur et ut vita luxuriosa licencius continuaretur omnisque voluntas mea liberius perficeretur. **52** Itaque, o iudex, ex istis iam factis et per regem opere iam completis et pluribus aliis peccatis probari et sciri potest, utrum rex consiliis tuis an meis obediuit.”

53 Post hec autem loquebatur iusticia et respondendo dixit: ”Quia rex odiuit virtutem et contempsit veritatem, ideo iam pertinet ad te augere aliqua regi de malis tuis, et ego debeo secundum iusticiam diminuere illi aliqua de graciis sibi datis.” **54** Respondit dyabolus: ”Ego,” inquit, ”o, iudex, augebo et multiplicabo regi dona mea. Et primo immittam ei negligenciam, ut non attendat opera diuina in corde suo nec recogitet opera et exempla amicorum tuorum.” **55** Respondit iusticia: ”Et ego,” inquit, ”diminuam ei infusiones Spiritus mei Sancti et subtraham ei recordaciones et consolaciones priores, quas habuit bonas.” **56** Et tunc dyabolus: ”Ego,” inquit, ”immittam ei audaciam cogitandi et operandi peccata mortalia et venialia absque rubore et verecundia.” Tunc respondit iusticia: ”Ego diminuam ei racionem et discrecionem, ne discernat et discuciat retribuciones et iudicia mortalium et venialium peccatorum.” **57** Et dixit dyabolus: ”Ego,” inquit, ”immittam ei timorem, ne audeat loqui vel facere iusticiam contra inimicos Dei.” Respondit iusticia: ”Ego diminuam ei prudenciam et scienciam agendorum, ut similior videatur fatuo et ioculatori in verbis et operibus suis quam homini sapienti.” **58** Dixit tunc dyabolus: ”Ego apponam ei anxietates et tribulaciones cordis, eo quod non prosperatur secundum voluntatem suam.” Respondit iusticia: ”Ego,” inquit, ”diminuam ei consolaciones spirituales, quas olim habuit in oracionibus et factis suis.”

59 Dixit autem dyabolus: ”Ego apponam ei astuciam excogitare solertes adinuenciones, quibus circumueniat et decipiat eos, quorum desiderat perdicionem.” Respondit iusticia: ”Ego diminuam ei intellectum in tantum, quod non attendat proprium honorem et commodum suum.” **60** Dyabolus dixit: ”Ego apponam ei talem mentis exultacionem, quod eciam de verecundia sua et dampno et periculo anime sue gaudebit, dum tamen possit temporaliter prosperari secundum velle suum.” **61** Respondit iusticia: ”Ego diminuam ei premeditacionem illam et consideracionem, quam sapientes habent in verbis et actibus suis.” Dixit tunc dyabolus: ”Ego apponam ei audaciam femineam et timorem indecentem gestusque tales, quod

similior videatur ribaldo quam regi coronato.” **62** Respondit tunc iusticia: ”Tali,” inquit, ”dignus est iudicio qui se separat a Deo. Nam debet contempni ab amicis suis et odiri a populo communitatis sue et ab inimicis Dei dei, quia donis caritatis diuine tam spiritualibus quam corporalibus abusus est.” **63** Iterum loquebatur virtus: ”Hec,” inquit, ”que ostensa sunt, non sunt propter merita regis, cuius anima nondum iudicata est sed in extremo puncto vocacionis sue iudicanda erit.”

64 Post ista dicta vidi, quod illa tria, scilicet virtus, veritas et iusticia, similia erant iudici, qui antea loquebatur, et tunc audiui unam vocem quasi preconis sic dicentem: **65** ”O, vos celi omnes cum planetis omnibus, date silentium, omnesque dyaboli, qui estis in tenebris, auscultate, et omnes vos alii, qui estis in obscuris, audite, quia summus imperator audire proponit iudicia super principes terrarum.” **66** Et statim illa, que vidi, non erant corporalia sed spiritualia, et oculi mei spirituales aperiebantur ad audiendum et videndum. Et tunc vidi Abraham venire cum omnibus sanctis, qui de eius generatione nati sunt, omnesque patriarche venerunt et prophete. **67** Deinde vidi quatuor euangelistas, quorum forma similis erat quatuor animalibus, sicut in parietibus depinguntur in mundo. Qui tamen viuentes et non mortui apparebant. Post ista vidi sedes XII et in eis apostolos XII expectantes potestatem venientem. **68** Deinde veniebant Adam et Eua cum martiribus et confessoribus et omnibus aliis sanctis ab eis descendentibus. Humanitas vero Christi nondum videbatur nec corpus benedictae Matris eius, sed omnes expectabant, quod venirent. **69** Terra quoque et aqua videbantur eleuari usque ad celos, et omnia que erant in eis humiliabant se et cum reuerencia incuruabant se potestati.

70 Post hec autem vidi unum altare, quod erat in sede maiestatis, et calicem cum vino et aqua et panem in similitudinem hostie oblate in altari. Et tunc vidi, qualiter in una ecclesia in mundo quidam sacerdos inchoabat missam indutus vestibus sacerdotalibus. **71** Qui, peractis omnibus pertinentibus ad missam, cum peruenisset ad verba quibus benediceret panem, videbam, quod quasi sol et luna et stelle cum planetis omnibus et omnes celi cum cursibus et motibus suis alternantibus vocibus cum dulcisona nota resonabant, omnesque cantus et modulacio audiebatur. **72** Innumerabilia quoque genera musicorum videbantur, quorum dulcissimum sonum sensu comprehendere impossibile est et effari. Illi vero, qui in luce erant, aspiciabant sacerdotem et inclinabant se potestati cum reuerencia et honore. Qui vero erant in tenebris horrebant et timebant. **73** Prolatis igitur verbis Dei a sacerdote super panem, videbatur michi, quod idem panis erat in sede maiestatis in tribus figuris, nichilominus manens in manu sacerdotis. **74** Et ipse panis fiebat agnus viuens, et in agno apparebat facies una hominis et ardens flamma videbatur intra et extra agnum et faciem. Cumque diligenter intuitum meum figerem in aspiciendo faciem, videbam agnum in ea. **75** Aspiciens vero agnum videbam faciem ipsam in eo, et virgo coronata consedebat agno et omnes angeli seruiebant eis, qui tante multitudinis erant, sicut athomi in sole, et fulgor mirabilis procedebat de agno. **76** Tanta etiam erat multitudo animarum sanctarum, quantam intuitus meus aspiciere non valebat in longitudine et latitudine et altitudine et profunditate. Quaedam etiam loca vidi vacua, que ad honorem Dei adhuc sunt implenda.

77 Et tunc audiui vocem de terra infinitorum milium clamantium et dicentium: ”O, Domine Deus iudex iuste, iudica super reges et principes nostros et attende effusionem sanguinis nostri et dolores et lacrimas uxorum et filiorum nostrorum! **78** Respice famem et pudorem nostrum, vulnera et captiuitates nostras incendiaque domorum et violencias et pudorem iuencularum et mulierum! **79** Attende iniuriam ecclesiarum et totius cleri et vide principum et regum fallaces promissiones et prodiciones et exactiones, quas cum iracundia et violenter extorquent, quia non curant, quot milia moriuntur, dum tamen ipsi possint superbiam suam dilatare.”

80 Deinde clamabant de inferno quasi infinita milia dicentes: "O, iudex, scimus, quod creator omnium es. Iudica igitur super dominos, quibus in terra seruiimus, quia ipsi nos profundius in infernum demerserunt. **81** Et licet cupimus tibi malum, tamen iusticia compellit nos conqueri et dicere veritatem. Ipsi quippe domini nostri terreni absque caritate dilexerunt nos, quia non plus curabant de animabus nostris quam de canibus. **82** Quibus dominis nostris indifferens fuit, utrum dileximus te Deum, creatorem omnium, an non, cupientes diligi et serui a nobis. Propterea indigni sunt celo, quia non curant de te, et digni sunt inferno, nisi eis succurrat gracia tua, quia nos prodiderunt. **83** Ideoque et adhuc grauiora pati vellemus, quam patimur, ne ipsorum pena finiretur."

84 Deinde qui erant in purgatorio per similitudines loquendo clamabant: "O, iudex, nos iudicati fuimus ad purgatorium propter contricionem et bonam voluntatem, quam habuimus in fine vite. **85** Ideo conquerimus super dominos nostros, qui adhuc viuunt in terra. Ipsi namque debuissent rexisse et ammonuisse nos verbis et correccionibus suis et docuisse nos consiliis salutaribus et exemplis. **86** Sed ipsi magis confortabant et prouocabant nos ad opera et peccata mala, et ideo propter eos pena nostra nunc est grauior et tempus pene longius est pudorque et tribulacio maior."

87 Deinde Abraham cum patriarchis omnibus locutus est dicens: "O, Domine, nos inter desiderabilia omnia desiderauimus, quod Filius tuus nasceretur de progenie nostra. Qui nunc a principibus terrarum contemptus est. **88** Ideoque iudicium petimus super eos, quia nec attendunt misericordiam tuam nec iudicium tuum timent." Et tunc prophete locuti sunt dicentes: **89** "Nos de aduentu Filii Dei prophetauimus et diximus, quod necesse erat eum pro liberatione populi nasci de virgine et prodicionem pati, captiuari et flagellari, coronari spinis et ad extremum mori in cruce, ut celum aperiatur et peccatum deleatur. **90** Ergo, quia iam completa sunt, que diximus, ideo petimus iudicium super principes terre, qui Filium tuum contempnunt, qui ex caritate mortuus est pro eis."

91 Euangeliste quoque tunc loquebantur dicentes: "Nos testes sumus, quod Filius tuus omnia, que predicta fuerunt, in se ipso compleuit." Apostoli eciam loquebantur dicentes: **92** "Nos iudices sumus, ideo nostrum est secundum veritatem iudicare, ideoque illos, qui corpus Dei et precepta eius contempnunt, iudicamus ad perdicionem." **93** Post hec autem virgo consedens agno dixit: "O, dulcissime Domine, miserere eis!" Cui iudex: "Non est," inquit, "iusticia tibi aliquid negare. Nam qui desistunt a peccato et penitentiam condignam egerint, inuenient misericordiam et iudicium auertetur ab eis."

94 Post hec vidi, quod facies illa que videbatur in agno loquebatur ad regem dicens: "Ego magnam gratiam feci tecum. Nam ostendi tibi voluntatem meam, quomodo te gereres in regimine tuo et quomodo te ipsum regeres honeste et prudenter. **95** Te eciam quasi mater verbis dulcibus caritatis alliciebam et quasi pius pater terrui te ammonicionibus. Sed tu obediens dyabolo proiecisti me a te sicut mater proiciens abortiuum, quem non dignatur tangere nec ubera imponere ori eius. **96** Et ideo omne bonum, quod tibi promissum est, auferetur a te et addetur cuidam postero tuo."

97 Post hec autem virgo, que sedebat cum agno, loquebatur ad me dicens: "Ego indicare tibi volo, quomodo data est tibi intelligencia spiritualium visionum. Nam sancti Dei diuersimode acceperunt Spiritum Sanctum. **98** Quidam enim eorum presciebant tempus, quo euenirent ea que eis ostendebantur, sicut prophete. Sancti alii sciebant in spiritu illa, que personis ad se venientibus responderent, quando ab eis aliqua interrogabantur. **99** Alii vero sciebant, utrum illi erant viui vel mortui, qui remoti ab eis erant. Quidam eciam presciebant, qualem finem et exitum habere posset prelium aliquod, antequam in eo preliantes intrarent. **100** Sed tibi non est licitum scire alia nisi spiritualia audire et videre et illa que vides

scribere et dicere illis personis, quibus tibi precipitur. **101** Nec licitum est tibi scire, utrum illi viui vel mortui sint, quibus tibi precipitur scribere, vel utrum obedient vel non consiliis scripture tue in visione spiritali pro eis diuinitus tibi datis. **102** Sed licet iste rex contempserit verba mea, veniet utique alius, qui recepturus est ea cum reuerencia et honore et fruiturus est eis ad salutem suam.”

Mater Dei dicit sponse, quod propter tria peccata plaga Dei venit super regnum, et ideo Deus propter alia tria bona placari potest, primo quod gentes assumant veram humilitatem et honestatem in habitu, secundo per certas elemosinas, tercio per processiones et missas hic contentas. Capitulum LVII.

1 Mater Dei loquebatur ad sponsam dicens: ”Propter tria peccata plaga venit super regnum, scilicet propter superbiam et incontineniam et cupiditatem. Et ideo Deus placari potest per tria, ut tempus plage abbreviatur.

2 Primum est, quod omnes assumant veram humilitatem in vestibus, habendo vestes moderatas, non nimis longas more feminarum nec nimis strictas more scurrarum nec scissuras et fissuras vestium dispendiosas et vanas et inutiles, quia talia displicent Deo. **3** Corpora eciam sua sic honeste gerant, ut nec prominenciora appareant, quam Deus creauit ea, propter ostentacionem, nec breuiora vel subtiliora per aliquas ligaturas vel nodos vel similia artificia, sed omnia sint ad utilitatem et honorem Dei. **4** Mulieres eciam deponant vestes ostentacionis, quas propter superbiam et vanam gloriam assumpserunt, quia dyabolus dictauit mulieribus contempnentibus mores patrie sue antiquos et laudabiles quandam nouam abusionem et ornamenta indecencia in capitibus et pedibus et reliquis membris ad prouocandum luxuriam et irritandum Deum.

5 Secundum est, quod fiant elemosine cum hylaritate mentis. Tercium est, quod quilibet parochialis sacerdos semel in mense per annum integrum cantet missam de sancta trinitate, **6** ad quam totus populus eius conueniat confessus et contritus, et ieiunet illo die orando et obsecrando intente, ut peccata remittantur et ira Dei mitigetur. **7** Episcopi quoque similiter in quolibet mense faciant per se ipsos vel per suos in cathedralibus ecclesiis suis processiones sollempnes, celebrando missam de sancta trinitate, et colligant pauperes lauentque humiliter pedes eorum.”

Celestis imperator Christus pro tribunali sedens arguit grauitur reges et principes terre et omnes status de ingratitude ipsorum cum comminacione terribilis sentencie ire sue. Ammonet tamen eos, quod conuertantur, et recipiet eos cum misericordia sicut pater. Capitulum LVIII.

1 Vidi palacium grande simile celo sereno, in quo erat exercitus celestis milicie innumerabilis quasi athomi solis, habens fulgorem sicut radii solis. **2** In palacio vero sedebat in throno mirabili quasi persona quedam hominis, incomprehensibilis pulchritudinis et immense potencie dominus, cuius vestes erant mirabiles et indicibilis claritatis. **3** Et quedam virgo stabat ante sedentem in throno, que erat fulgencior sole. Quam omnes illi assistentes celestis milicie honorabant reuerenter ut reginam celorum. Ille vero, qui sedebat in throno, aperiens os suum dixit:

4 "Audite omnes inimici mei in mundo viuentes, quia ad amicos meos non loquor, qui sequuntur voluntatem meam. Audite omnes clerici, archiepiscopi et episcopi et omnes inferiores gradus Ecclesie! Audite omnes religiosi, cuiuscumque ordinis estis! **5** Audite reges et principes et iudices terre et omnes seruiantes! Audite mulieres, principisse et omnes domine et ancille, et omnes, cuiuscumque condicionis et gradus estis, magni et parui, qui habitatis orbem, verba hec, que ego ipse, qui creauit vos, nunc loquor ad vos.

6 Ego conqueror, quia recessistis a me et dedistis fidem dyabolo, inimico meo. Vos dereliquistis mandata mea et sequimini dyaboli voluntatem et suggestiones eius. **7** Non attenditis, quod ego, immutabilis et eternus Deus creator vester, descendi de celo ad virginem, sumens ex ea carnem, et conuersatus sum vobiscum. Ego per memetipsum aperui vobis viam et ostendi consilia, per que iretis in celum. **8** Ego fui nudatus et flagellatus et spinis coronatus et ita fortiter extensus in cruce, quod quasi omnes nerui et compages mei corporis soluerentur. Ego audiui omnia obprobria et sustinui contemptibilissimam mortem et amarissimum cordis dolorem pro salute vestra. **9** Hec omnia, o inimici mei, non attenditis, quia decepti estis. Ideo portatis iugum et onus dyaboli cum suauitate fallaci, et nescitis nec ista sentitis, antequam dolor super onus interminabile appropinquat. **10** Nec sufficiunt vobis ista sed et tanta est superbia vestra, quod, si possetis ascendere super me, libenter faceretis. Tantaque est vobis voluptas carnis, quod libencius velletis carere me quam dimittere inordinatam delectacionem vestram. **11** Insuper cupiditas vestra est insaciabilis quasi saccus perforatus, quia nichil est, quod saciare potest cupiditatem vestram.

12 Ideo iuro in deitate mea, quod, si moriamini in statu, in quo nunc estis, numquam videbitis faciem meam, sed pro superbia vestra sic profunde demergemini in infernum, quod omnes dyaboli erunt super vos, inconsolabiliter affligentes vos. **13** Pro luxuria vero implebimini horribili veneno dyabolico et pro cupiditate vestra implebimini dolore et angustia, et participes eritis tocus mali, quod est in inferno. **14** O, inimici mei, abhominabiles et ingrati et degenerantes, ego videor vobis quasi vermis mortuus in hyeme. Ideo facitis quecumque vultis et prosperamini. Ideo consurgam ego in estate, et tunc vos silebitis et non effugietis manum meam. **15** Verumptamen, o, inimici, quia ego sanguine meo redemi vos et nichil quero nisi animas vestras, ideo redite adhuc ad me cum humilitate, et gratanter ut filios suscipiam vos. **16** Excutite graue iugum dyaboli a vobis et recordemini caritatis mee, et videbitis in consciencia vestra, quod ego sum suavis et mitis."

Explicit Liber Celestis Imperatoris ad Reges beate Brigide diuinitus reuelatus. Deo gracias. Amen.